CXY
.G94

OTHECA FRANCISCANA ASCETICA MEDII AEV
Tom. VI.

TRACTATUS DE PACE

AUCTORE

FR. GILBERTO DE TORNACO

EDIDIT

P. EPHREM LONGPRÉ, O. F. M.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1925.

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

Library
of the
University of Wisconsin

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

Digitized by Google

Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

Digitized by Google

Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

BIBLIOTHECA
FRANCISCANA ASCETICA
MEDII AEVI

EDITA CURIS

PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

Tomus VI.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1925.

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

35-225 30

TRACTATUS DE PACE

AUCTORE

R. GILBERTO DE TORNACO

Guibert of Tournai

EDIDIT

P. EPHREM LONGPRÉ, O. F. M.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1925.

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

PROPRIETAS LITTERARIA

Digitized by Google

Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

XY
94
661228
Co

Imprimi potest.

Romae, 16 Ianuarii 1925.

Fr. Bernardinus Klumper O. F. M.
Minister Glis.

Imprimatur.

Florentiae, die 20 Ianuarii 1925.

Can. Ioachim Bonardi, *Vic. Gen.*

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

BIBLIOTHECA FRANCISCANA ASCETICA MEDII AEVI

Haec collectio complectitur opuscula ascetica et mystica, quae scriptores Ordinis Minorum medii aevi lingua latina scripserunt.

Tom. I. **Opuscula S. P. Francisci Assisiensis.** — 1904. In 16. p. XVI, 209. L. 4.00

Tom. II. **Speculum Beatae Mariae Virginis** Fr. Conradi a Saxonia. — 1904, p. XXVIII, 281. » 5.00

Tom. III. **Dicta B. Aegidii Assisiensis.** — 1905, p. XX 124. » 4.00

Tom. IV. **Stimulus Amoris** Fr. Iacobi Mediolanensis. — **Canticum pauperis** Fr. Ioannis Peckam. — 1905. p. XX, 205. » 4.50

Tom. V. **Dialogus de Gestis Sanctorum Fratrum Minorum,** auctore Fr. Thoma de Papia. — 1903, p. LXVII, 315 » 6.00

Tom. VI. **Tractatus de Pace,** auctore Fr. Gilberto de Tornaco. — 1925, p. XLIV, 191. » 5.00

Digitized by Google

Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

PRAEFATIO

De vita et scriptis Fr. Gilberti de Tornaco.

§ I. - *De vita.*

Auctor opusculi *De pace* est fr. Gilbertus de Morielporte, O. F. M., ex nobili familia As-Piès [1] civitatis Tornacensis oriundus. Ex prologo *Vitae S. Eleutherii* quam ipse scripsit, deduci potest quod eiusdem urbis episcopo, Ioanni Buchiano († 1266), affinis erat [2]. Prae-

[1] Servais Dirks, O. F. M., *Histoire littéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l'Observance de S. François en Belgique et dans les Pays-Bas,* Anvers [1885], X. [2] *Acta Sanctorum, Februar.* III, Antverpiae 1658, 197. Ibi inter alia dicit Gilbertus: « Nam preces vestras, cur imperium non appellem? Non quia nudato supplicat ense potens, sed quia dudum inita familiaritas, concivilitatis identitas, patria, parentela, sanguinis et affinitatis propinquitas et cetera id genus quae vel reverentiam conciliant vel conciliatam continuam exigunt », etc. Haec *Vita* etiam habetur ap. Migne, PL 65, 59-82.

Digitized by Google
Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

ter hoc de cognatione sua nihil traditum est nisi quod habuit fratrem unicum, Henricum nomine, qui etiam magister fuit. In suo tractatu *De modo addiscendi,* circa an. 1262 scripto[1], illum rememorat Gilbertus et de obitu eius ad imitationem S. Bernardi magnam elegiam instituit[2]. Ut ipsemet attestatur, episcopus Tornacensis, Gualterus de Marvy († 1251), fuit suus « nutricius a puero[3] ».

Studiis absolutis, in Universitate Parisiensi magister effectus est. In tractatu iam laudato ad hoc officium necnon et ad methodum suam disputandi alludit ipse auctor[4]: « Memini me, cum regerem Parisius in theologia, argumentorum fluxum habere ad unius conclusionis partem, et quasi de consuetudine, quoniam opponentes non poteram cohibere vel ad aliud provocare, quia quod cogitaverant secretius

[1] A. De Poorter, *Un traité de pédagogie médiévale, le De modo addiscendi de Guibert de Tournai,* in *Revue néo-scolastique de philosophie,* Louvain 1922, XXIV, 195-228. Opus istud quasi complete ineditum habetur Florentiae, Bibl. Laurent., Plut. 36, dext., cod. 6, fol. 238v-309r, post eiusdem auctoris tractatum, qui vocatur *Rudimentum doctrinae*, fol. 14v-238v. Ad hunc codicem infra semper remittimus. [2] Cod. Florent., fol. 258r-259v. [3] Cf. De Poorter, l. c., 202. [4] Cod. Florent., fol. 271r.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

effundebant inutilius. Ego igitur opponentibus morem gerebam, sed rationes ostendens et confusioni parcens et scholarium damnum redimens, ex argumentis problemata nova formabam et sic fastidium tollebatur et veritas pandebatur». Postea vero, luce divina influente, ad pacem acquirendam in solitudinem vitae religiosae secessit et regulam S. Francisci amplexus est. Hoc eruitur ex littera ad magistrum Michaelem de Insula missa, quae habetur initio tractatus *De modo addiscendi*. Ibi inter alia haec leguntur: « Possem apologiam multiplicem texere, maxime cum ab annis fere triginta nequiverim talibus inservire, sed postquam, divina favente gratia, Parisius valedixi cathedrae magistrali et theologiae lectioni, contuli me ad interioris hominis sabbatismum, quasi naufragus ad portum, reiectis philosophorum ineptiis et naeniis poëtarum, quibus maxime in talibus est utendum[1]». His verbis innixi, auctores moderni[2] ingressum Gilberti in Ordinem S. Francisci circa an. 1235 vel 1240 ponunt.

---

[1] Cod. Florent., fol. 238 v. [2] Cf. A. Callebaut, O. F. M., in AFH, 1919, XII, 300; Dirks, l. c.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Frater Minor factus, ab officio magisterii non cessavit. Pluries enim affirmat operum suorum compositionem multitudine lectionum, quibus incumbere debet, retardari. Sic in tractatu suo *Eruditio regum et principum* [1] dicit: « Meae sollicitudinis iugis et indefessa confachinatio, lectionum mearum et disputationum necessaria continuatio vix mihi reliquerunt otium hoc scribendi ». Eadem fere repetit in libello *De modo addiscendi* [2]: « Otia longa novum requirunt exordium, et interiectis iam plurium mensium circulis, immo negato otio, multis accedentibus negotiis intersertis, libet inchoatum continuare tractatum. Et licet labore retentus, animo remissus, studio dilatus fuerim temporis intervallo, nunc stilus ad medium revocetur, prout indulgentia lectio-

[1] Cf. De Poorter, *Le traité Eruditio regum et principum de Guibert de Tournai, O. F. M., (Etude et texte inédit),* in collectione *Les Philosophes Belges,* IX, 42, Louvain 1914. De hac optima editione disserit Callebaut, l. c., 298-302. [2] Cf. De Poorter, *Un traité de pédagogie médiévale,* 201-202. Eadem occurrunt in prologo *Vitae S. Eleutherii,* l. c., 196: « Inter sollicitudines continuas lectionum et inter labyrinthos inegressibiles quaestionum, sermonum paradigmata, consiliorum axiomata, quibus immergor et alteror assidue, durum mihi scribere » etc.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

num et disputationum, quibus alligor, et obedientiae lege [qua] constringor, continuatio patietur ».

Ordinarie, ut videtur, Parisiis in studio generali Fratrum Minorum morabatur Gilbertus de Tornaco. Ibi intimas relationes cum S. Ludovico IX, rege Galliae, habuit. « Clementissimo Domino suo Ludovico, Dei gratia illustrissimo regi Francorum » dedicat suum celeberrimum tractatum *Eruditio regum et principum,* immo eius rogatu illum perficit [1]. Sanctum regem valde commendat, quando profectum eius in Aegyptum describit [2]: « Sciat igitur aetas posthuma quod dominum meum regem Franciae in aegritudine desperata Dominus visitavit et vivificae crucis signaculo consignavit, ut levaret signum in nationibus procul. Et factum est signum illud in bonum, sicut sub-

---

[1] *Eruditio regum,* 43: « Postulatis, clementissime domine, praelibatis continuari sequentia, materiam scilicet perfici quam incepi. Libens pareo pro facultate meae tradita parvitati. Alacriter ergo secunda procedat epistola quam Serenitas regia prodire iubet in publicum, et tantae dignationis prudentia vel dirigat vel excuset quod deforme videbitur vel apparuerit vitiosum. Ad hanc enim operam stimulis urgeor regiae Maiestatis » etc. [2] Ibid., 14.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

secutae sanitatis effectus ostendit. Et in procinctu itineris valefacto ecclesiae congregatae, videre potuit clerus Parisiensis alterum Constantinum, non in monte superbiae sublevatum, sed crucifixum corde, signatum in humero, minoratum habitu, gestantem in manibus dominicae crucis lignum, et pro reverentia successit gratia Domini ». An tamen Gilbertus Ludovicum IX in expeditione Crucesignatorum, an. 1248-1254, comitatus sit, dubium est. Aliqui auctores doctissimi, Kervyn de Lettenhove, P. Dirks, O. F. M., necnon et P. H. Golubovich, O. F. M. [1], ut certum hoc tenent. Revera in abbatia S. Martini in Tornaco olim exstabat, sub nomine Gilberti de Tornaco, opus hodie deperditum in quo expeditio S. Ludovici narrabatur [2]. Insuper in libro *De viris illustribus,* qui communiter

---

[1] *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa e dell' Oriente Francescano,* Quaracchi 1913, II, 362-366. Cl. auctor hic magna ex parte reproducit dissertationem Kervyn de Lettenhove, *Relation de la première croisade de Saint Louis par Guibert de Tournai,* ex periodico *Bulletin de l'Académie royale des sciences, des lettres et des beaux-arts de Belgique,* XXVII an., IIª ser., an. 1858, IV, 250 sqq. [2] Dirks, l. c.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

olim Henrico Gandavensi attribuebatur, cuius auctor tamen probabilius est monachus quidam Afflighemensis, fortasse Henricus Bruxellensis, haec leguntur [1]: « Wibertus Tornacensis dicitur scripsisse *Odeporicon,* id est itinerarium prime profectionis pie memorie domini Ludovici regis Francorum ad transmarinas partes ». Haec omnia necnon et allusio ad psillos Aegypti vividaque captivitatis regis Galliae descriptio, prout legitur in tractatu *Eruditio regum et principum,* hanc sententiam valde suadent, aliquibus tamen, ut cl. De Poorter [2], ad quaestionem affirmative dirimendam sufficere non videntur.

Non solum Ludovico IX, sed etiam comiti Flandriae valde addictum fuisse Gilbertum de Tornaco historice constat. Pro filio Guidonis de Dampetra, Ioanne, praeposito Brugensi († 1290), scripsit tractatum *De modo addiscendi* [3]. Insuper Mariae de Dampetra libellum suum *De pace* dicavit [4]. In hoc revera nil mirum: relationes enim inter comitem Flandriae et Ordinem Minorum saeculo XIII in-

[1] Golubovich, l. c., 362. [2] *Erudio regum,* Introduction, VI. [3] Cod. Florent., fol. 238 v-239 r. [4] Cf. *Epistola dedicatoria,* hic infra, 1-5.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

timae fuerunt, ut abunde constat, praesertim ex quadam epistola S. Bonaventurae (1259) ad Guidonem comitem Flandriae [1] et ex variis documentis ad actionem politicam Card. Matthaei ab Aquasparta spectantibus [2].

His notitiis parum addi potest. Occurrit nomen Gilberti solum in *Chronica* [3] Aegidii Le Muisit, abbatis S. Martini in Tornaco, qui haec tradit: « Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, fuit impetrata littera ab illustrissimo principe rege Ludovico per Fratrem Wibertum de Morielporte, doctorem in theologia de ordine Minorum, de franchisia ville quod quicumque occidit hominem in Tornaco perdit villam perpetuo ».

Circa tempus mortis eius olim disputabatur, sed fuisse an. 1284 hodie constat [4]. Etenim

---

[1] Callebaut, *Lettres franciscaines concernant la Belgique et la France,* in AFH, 1914, VII, 250. [2] Kervyn de Lettenhove, *Recherches sur la part que l'Ordre de Citeaux et le comte de Flandre prirent à la lutte de Boniface VIII et de Philippe le Bel,* in app. ad *Opera S. Bernardi,* PL 185, 1871, 1886, 1889, 1901-1902, 1908. [3] Cf. H. Lemaître, *Chronique et annales de Gilles Le Muisit,* Paris 1905, 34. [4] In cod. lat. 14947, n. 56 Bibl. Nation. Paris. habetur sermo, in die cinerum an. 1283 recitatus, qui hanc inscriptionem fert: « A quodam fratre

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Syntagma Provinciae S. Andreae, fol. 5, quod exstat in Archivo Provinciali Ord. Minorum conventus Bruxellensis, sequentia habet: « Anno 1284, 4 oct., S. P. Francisci natalibus, pietate et scriptis doctor non ignobilis Guilbertus de Tornaco cursum vitae absolvit, cuius tumulum ad cornu Evangelii Cameracensis Episcopus [1] multis ornavit leoninis versibus in quibus et hoc posuit:

Frater Guilbertus, minor ordine, laude refertus,
Caelica quaesivit, pedibus terrestria trivit;
Christo servivit, qui totum scibile scivit.

Memoria Gilberti satis celebrata fuit saeculo XIII. Hoc constat praesertim antiquissimo ex epitaphio, quod hodie legitur in

Minore, veteri regente in theologia, dicto fratre Guiberto, qui fecit summam ». Lecoy de la Marche, *La chaire française au moyen-age*[2], Paris 1886, 508. Revera dictus homonymus Gilbertus de Tornaco esse videtur. Fuit enim in sacra pagina magister regens prima medietate saeculi XIII necnon auctor collectionis sermonum *Ad status*, quae recte summa vocari potest. Sbaralea tamen, *Supplementum ad scriptores,* Romae 1806, 314 et Lecoy de la Marche, l. c., hanc identificationem non suspicati sunt.

1 Videlicet Ingeramus de Crequi, postea episc. Morinen. (Thérouanne) † 1330.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cod. lat. 17511, fol. 196, Bibl. Nation. Parisiensis:

O vas munditiae, septemplicis arca sophiae,
Cultor iustitiae, professor theologiae,
Quondam praeco viae Domini, similis vir Eliae,
Sacra pauperie debellans arma Goliae,
Sobrie, iuste, pie pater Guiberte, Mariae
Vi precis eximiae, patriae sis incola diae.
Doctorem patriae Tornacum flens, Ieremiae
Luctum fac hodie; tibi mors est ista Iosiae.

§ II. - *De scriptis Fr. Gilberti in genere.*

Opera Gilberti de Tornaco genere diversa et amplitudine conspicua sunt [1]. Multa scripta in antiquis catalogis ei attributa, praesertim *Commentarius in Sententias, Quodlibeta* et *Commentaria in Epistolas Pauli* [2], si revera

[1] Praeter De Poorter, ll. cc., Dirks, l. c., quoad opera Gilberti consulendi sunt Sbaralea, l. c., 308-309; Oudinus, *De Scriptoribus ecclesiasticis,* Lipsiae 1722, III, 499-500; Lajard, in *Hist. littér. de la France,* Paris 1838, XIX, 138-142; Braunmüller, O. S. B., in *Kirchenlexikon,* Freiburg i. B. 1888, V, 1354; M. de Wulf, *Histoire de la Philosophie médiévale,* Louvain 1924, I, 372-373. [2] Dirks, l. c., XI.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

ad eum spectant, hodie nos latent. Attamen plures alii tractatus nostris temporibus adhuc supersunt, qui insigne Gilberti testantur ingenium [1].

Inter opera didactica primo eminet tractatus *Eruditio regum et principum,* scriptus Parisiis anno 1259 « in die octabarum beati Francisci », cuius analysis et editio apud cl. De Poorter habentur. Ibi de constitutione christianae reipublicae, prout ab authentico filio S. Francisci concipi potest [2], et de principum officiis ita praeclare disserit Gilbertus de Tornaco ut inter primaria scripta politica saeculi XIII numerari debeat tractatus iste.

Aliud opus, cui titulus est *Rudimentum doctrinae* ineditum iacet, paucis fragmentis exceptis. Habetur ms. Parisiis, Bibl. Nation., cod. lat. 15451, fol. 85r-227r; Florentiae, Bibl. Lau-

---

[1] De Poorter, *Eruditio regum,* V: « Guibert de Tournai, de l'Ordre des frères mineurs, compte parmi les théologiens les plus distingués de l'Université de Paris au XIIIe siècle ». [2] De Poorter, l. c., XI: « Il traite son sujet en vrai frère mineur. Car une note distinctive domine toute son œuvre: l'amour du pauvre et de l'opprimé, une vraie soif de la justice. Ces idées inspirent à Guibert des développements admirables ».

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

rent., Plut. 36, dext., cod. 6, fol. 14 v-238 v, Edimburgi, Bibl. Univ., cod. 111 (D. B. I. 12), fol. 1-192 [1], Cracoviae, Bibl. Iagell., cod. 690 AA. VIII. 25, fol. 1-425. Tractatum *De modo addiscendi,* cod. 574 AA. VIII. 24, fol. 1-137, eiusdem Bibl. tantum habet. Olim exstabat alius codex Senis in Bibl. S. Francisci [2]. Opus istud cuiusdam encyclopaediae speciem praefert, in quatuor partes divisae. Tertia pars nihil aliud est quam tractatus paedagogicus *De modo addiscendi,* circa an. 1262 compositus, quem percelebri operi Hugonis a S. Victore, cui titulus est *Eruditio didascalica* [3], non sine fundamento comparare quis posset. Quarta pars est collectio quaedam sermonum *Ad varios status,* de qua infra dicetur. Magni momenti est illud scriptum Gilberti de Tornaco pro historia augustinismi mediaevalis necnon et franciscanae my-

---

[1] De isto codice cf. C. Borland, *A descriptive catalogue of the Western Mediaeval Manuscripts in Edinburgh University Library,* Edinburg 1916, 176-177. [2] M. Papini, *L'Etruria Francescana,* Siena 1797, 131, in app. *Indice dei codici manoscritti dell' antica libreria di S. Francesco di Siena,* sub n°. 398: *Tabula Sigisberti de erudimento doctrinae in bona litera.* [3] PL 176, 759-838.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sticae expositione. Spectatis controversiis huius temporis, speciali mentione digna sunt capitula ubi errores Philosophorum auctor enumerat [1]. Non aliter ac S. Bonaventura sentit in materia de rationibus aeternis, ad mentem S. Augustini docens « quod sine influentia lucis increatae non potest intellectus veritatem intelligere [2] ». Quod vero ad tractatum *De modo addiscendi* attinet, influxum profundum Richardi a S. Victore notare iuvat, praesertim in ultimis capitulis quae ad theologiam contemplativam spectant.

Nonnulla opera oratoria composuit Gilbertus de Tornaco quae hodie exstant manuscripta fere in omnibus bibliothecis Europae [3]. Tres habentur collectiones: *Sermones dominicales, Sermones de Sanctis* et *Sermones ad varios status* [4]. Duae primae ad instantiam papae Alexandri IV ad formam compilationis ordinatae fuerunt, ut Gilbertus testatur in pro-

---

[1] Cod. Florent., fol. 15r-26r. [2] Ibid., fol. 34r-35r. Cf. De Poorter, *Un traité de pédagogie médiévale*, 203-205. [3] De variis editionibus tractant Sbaralea, l. c., Lecoy de la Marche, l. c., 509, et Campbell, *Annales de la typographie néerlandaise au XVe siècle*, La Haye 1874, 247. [4] Sbaralea, l. c.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

logo sermonum *Ad varios status*: « Quoniam de dominicalibus et sanctorum festivitatibus ad piae memoriae Papam Alexandrum quartum scribentes eius imperio et praecepto nos expedivimus, ideo de iis quae pertinent ad diversa statuum et officiorum genera, prout Dominus dederit, subiungamus et titulos subnectamus [1] ». *Sermones de Sanctis* iam recitati fuerant lingua latina coram clero Parisiensi [2]. Volumine edito, Alexander IV misit ad Gilbertum de Tornaco epistolam, quae sic se habet apud Sbaraleam [3]:

« Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Fratri Giberto, Ordinis Fratrum Minorum, Parisiis commoranti, salutem et apostolicam benedictionem. — Accepimus satis gaudentes quod quamdam de novo non modicum utilem compilationem fecisti, cuius experientiam cupientes ad nostrum profectum

---

[1] Sbaralea, l. c. Textus Gilberti hic citatur secundum codicem *Conv. Sopp.* C. 9. 1084 Bibl. Nation. Florentiae. [2] In Prologo enim auctor ita alloquitur; « Rogatus pluries ut sermones quosdam, quos ad clerum Parisiensem latina lingua praedicaveram, in volumen unum compingens » etc. Cf. Lecoy de la Marche, l. c., 149. [3] L. c., 308.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

et pro aedificatione fidelium animarum, volumus et devotionem tuam tenore praesentium rogamus attente quatenus compilationem eamdem dilecto filio fratri Mansueto [1], cui super hoc scribimus, integram et bene correctam tradere ac assignare mittendam nobis non postponas. Datum Anagniae, VII idus augusti, pontificatus nostri anno primo » (7 aug. 1255).

Tempore posteriori, Alexandro IV defuncto, Gilbertus de Tornaco *Sermones ad varios status* edidit. Opus est quasi complementum scripti anterioris, scilicet tractatus *De modo addiscendi.* Etenim in huius libelli tractatu secundo, de causa efficiente doctrinae seu de doctore agens, sibi proposuerat auctor tractare « de doctrina hominis pertinente ad praedicatores secundum experimentum practicae », quod tamen non absolvit. Hanc materiam evolvit in ista collectione *Sermonum,* ut patet ex

[1] Mansuetus de Castillione, O. F. M., poenitentiarius ac capellanus pontificius fuit. Ut legatus Summi Pontificis gravissima negotia tractavit tum in Italia, tum in Anglia. De eo agunt Sbaralea, l. c., 507-508; Little, *Tractatus Fr. Thomae vulgo dicti de Eccleston De adventu Fratrum Minorum in Angliam,* in *Collection d'études et de documents,* VII, Paris 1909, 117-118.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

exordio: « Executis, inspirante Domino, sex partibus secundi tractatus, cuius est titulus, *De conditione doctoris,* restat pars septima quam habemus in manibus, difficilior et diffusior quam aliae, de doctrina videlicet hominis pertinente ad praedicatores secundum experimentum practicae [1] ».

Haec compilatio necnon et alii sermones Gilberti de Tornaco [2] magni habiti fuerunt

---

[1] Sbaralea, l. c. [2] Praeter sermones supra enumeratos, alii multi Gilberto attribuuntur. Secundum Oudinum, l. c., 500, aliosque communiter scripsit devotus auctor « *Sermones septem in orationem dominicam,* qui incipiunt: ' Cum pius mundi factor et redemptor humanae conditionis lagenam, lucerna deitatis intus abscondita, suscipiens ' etc., qui habentur ms. in Bibliotheca S. Germani Parisiensis, num. 746, anonymi, itemque *Sermones in salutationem angelicam,* ms. Coloniae apud Fratres Minores ». Res tamen adhuc non constat ex auctoritate codicum. Idem dicendum est de quatuor Sermonibus quos opus S. Eleutherii, episcopi Tornacensis, Bollandistae iudicant, *Acta Sanctorum, Februar.* III, *De S. Eleutherio commentarius praevius,* § 4, n. 29, 186 et sub eius nomine edidit Andreas Schottus, S. I., in vol. XV *Bibliothecae SS. Patrum,* Coloniae 1618. Cf. Migne, PL 65, 83-102. Aliquibus potius scriptum genuinum Gilberti videntur esse. Cf. Oudinus, l. c., 499. Commentarius vero *Super Cantica* qui a Sbaralea, l. c., 308, ei attribuitur, non est

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

medio aevo; multo frequentius in codicibus inveniuntur quam sermones celebriorum praedicatorum saec. XIII, videlicet Alani de Insulis, Iacobi de Vitriaco et Humberti de Romanis, O. P. Recte in illis P. Dirks scientiam Scripturarum et unctionem laudat[1].

Praeter opera iam descripta, opus liturgicum satis amplum, *De officio episcopi et Ecclesiae caeremoniis*[2], scripsit Gilbertus de Tornaco, instantia Guillelmi de Bussy, episcopi Aurelianensis (1237-1258). Tractatus iste, cura Dom. Theodori Coisfeldi, Coloniensis, Ord. Divi Antonii, in lucem editus fuit anno 1571[3]. Constat 48 capitulis; expositio Missae cap. 15-30 habetur. Ut fontes praecipuos auctor praesertim adhibet scripta Innocentii III, Amalarii,

---

authenticus, sed a Gilberto de Hoilandia, Ord. Cist., scriptus fuit. Cf. Migne, PL 184, 11sqq.

[1] L. c. : « Prédicateur, il eut l'éloquence propre aux saints du Moyen Age. La science des saintes Ecritures, la liberté évangélique, la force et l'onction, voilà le fond et le caractère de ses discours ». A Iacobo de Vitriaco multum dependet Gilbertus. Cf. Hauréau, *Notices et extraits de quelques manuscrits latins de la Bibl. Nationale,* Paris 1892, IV, 57 et V, 21. [2] Editum in *Maxima Bibliotheca Patrum,* Lugduni 1677, XXV, 401-420.
[3] Cf. Lajard, l. c., 140.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Richardi de Wedinghausen, Ord. Praem.[1]. Ipse Benedictus XIV opus illud aliquando citat[2].

Ultimo loco, scripta hagiographica Gilberti enumerare oportet. Rogatu Ioannis Buchiani, episcopi Tornacensis (1261-1266) *Vitam S. Eleutherii* († 531), eiusdem civitatis primi Pastoris, composuit[3], ex qua lectiones Breviarii Tornacensis de huius Sancti festivitate partim excerptae fuerunt[4]. Insuper, *De miraculis S. Blasii* opuscula scripsit. « Vidi olim, narrat Oudinus[5], sub nomine huius Gilberti Tornacensis, minoritae, libellos duos miraculorum S. Blasii, episcopi et martyris, interventu eius apud Viconienses patratorum: quorum ferme quarta pars lacerata fuerat incuria atque ignorantia nostrorum Viconiensium, unde pars reliqua passim et ubique truncata, me praesente, flammis donata est ».

His omnibus probabiliter addendum est ul-

---

[1] A. Franz, *Die Messe im deutschen Mittelalter*, Freiburg i. B. 1902, 465-466. [2] *De synodo*, lib. 1, c. 2, n. 3, in *Opera omnia*, Prati 1844, XI, 6. [3] *Acta Sanctorum, Februar.* ibid., III, 196-206. [4] Cf. *De S. Eleutherio commentarius praevius*, § 4, n. 29, ibid., 186-187, et *Vita IV ex Breviario ms. Tornacensi*, ibid., 206-208. [5] L. c., 500.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

timo loco aliud opus, de cuius auctore Bonelli [1], Oudinus [2], Sbaralea [3] ac Editores *Operum* S. Bonaventurae [4] fuse disputaverunt, videlicet *Pharetra,* pluries sub nomine Seraphici Doctoris edita [5]. Hoc opusculum, cuius 94 codices P. Fidelis a Fanna, O. F. M., invenit [6], scriptum genuinum esse Gilberti de Tornaco plures rationes valde suadent.

Etenim Gilberto hoc opus attribuit antiquus catalogus bibliothecae S. Francisci Bononiae, sub nº 230: *Summa Iohannis Gualensis de laudibus Pauli et pharetra Gilberti* [7]. Insuper *Pharetrae* compilator affirmat se in conversionis suae initio opus suum incepisse. Ad emendationem propriae vitae etiam alludit Gilbertus, dum in tractatu *De modo addiscendi*

---

[1] *Prodromus ad omnia opera S. Bonaventurae,* Bassani 1767, lib. 8, p. 1, § 1, 506-514; Seraphico Doctori opus tribuit. [2] L. c., 401-402. [3] L. c., 171. [4] S. Bonav., *Opera omnia,* Ad Claras Aquas 1898, VIII, Proleg. c. 3, n. 11, p. cxv. [5] De his di serit Sbaralea, l. c., 147. Ultima vice prodiit inter *Opera omnia S. Bonaventurae,* ed. Peltier, Parisiis 1866, VII, 3-231. Hanc editionem adhibuimus. [6] S. Bonav., *Opera omnia,* VIII, CXV. [7] Cf. L. Frati, *Inventario della Biblioteca francescana di Bologna,* in *Miscellanea Francescana,* Foligno 1890, V, 116; Sbaralea, l. c., 309.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

narrat se ipsum contulisse « ad interioris hominis sabbatismum, quasi naufragus ad portum, reiectis philosophorum ineptiis et naeniis poetarum ». Praeterea, opusculi anonymi auctor, suam intentionem declarans, in prologo expresse ait [1] : « In conversionis meae primordio, cum ob mentis recreationem auctoritates Sanctorum legerem, et legens varias corruptiones perciperem, placuit mihi ut ad ipsum fontem originalium recurrerem et ob maiorem certitudinem ipsemet aliqua exciperem [2] quae postmodum, ut scivi, ordinavi, ut quae ad meditationem, praedicationem, disputationem ibidem essent utilia, levius reperirentur » etc. Sed haec miro modo concordant non solum cum methodo consueta Gilberti [3], sed etiam cum doctrina paedagogica quam ipse tradit in tractatu *De modo addiscendi.* Ibi enim ex professo docet quod ingenium acuitur et sapientia acquiritur « corrigendo exemplaria, excipiendo notabilia... Corrigenda sunt pri-

---

[1] L. c., 3. [2] Editio habet *perciperem*, sed erronee. Correximus ex ultimis verbis prologi : *Originalia ista subscripta ipse excepi* etc. [3] Cf. De Poorter, *Un traité de pédagogie médiévale,* l. c., 199-201.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

mitus exemplaria[1] ». Arguit illos qui « ob librorum suorum pulcritudinem » nolunt codices corrigi; ostendit quomodo S. Augustinus, Beda et Magister *Historiarum* per originalia corrupta decepti fuerunt. Postea hoc consilium dat sapienter[2]: « Quia tempus est breve et negotiis occupamur et hebes est memoria et libri sunt multi et sumptus in scribendo magni, expedit de multis meliora colligere et brevitati servire ». Quapropter nil mirum si Gilbertus scripserit *Pharetram* quae auctoritates Sanctorum bene correctas et sedulo excerptas praebet. Tandem, multa alia indicia idem suadent. Sancti excerpti in *Pharetra* prae ceteris in scriptis Gilberti de Tornaco occurrunt, videlicet Augustinus, Gregorius, Bernardus et Ioannes Chrysostomus. In hoc opusculo, praeter sanctos, solus Seneca expresse nominatur et saepissime citatur[3], cuius philosophi opera fere in omnibus aliis suis tractatibus Gilbertus magni facit[4]. Insuper liber primus *Pharetrae*, exceptis sex capitulis,

---

[1] Florent., Bibl. Laurent., Plut. 36, dext., cod. 6, fol. 272r-272v. [2] Ibid., fol. 273r. [3] L. c., 4. [4] Cod. Florent., l. c.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

est quasi delineatio sermonum Gilberti *Ad varios status:* eamdem fere materiam tractat. Probabili igitur sententia haec compilatio inter opera doctoris Tornacensis adnumerari potest [1].

§ III. - *De ipsius scriptis asceticis in speciali.*

Non minoris momenti ascetica opuscula Gilberti de Tornaco censenda sunt.

In primis habetur *Epistola exhortatoria* ad B. Isabellam, sororem S. Ludovici IX, regis Franciae, et fundatricem monasterii sic dicti « Humilitas Dominae nostrae » apud Longum Campum. Ibi pius auctor docet quomodo per decem gradus ad perfectum rerum mundialium contemptum pervenitur. Opusculum nihil aliud est quam « breve commonitorium » quod Gilbertus ei offert, precibus Fr. Philippi, « quasi quoddam exenium ». Hodie habetur ms. in Bibliotheca Communali Brugensi, cod. 490, fol. 89v-92v. Incipit: *Etsi vobis parum agnitus*

---

[1] Salisburgi, in Bibl. Monasterii S. Petri, cod. A. IV. 34, ubi habetur *Pharetra,* scriptus est « anno Domini MCCLXI ».

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

facie. — Explicit: *Clametis singulae sponsae in extasi: osculetur me*[1].

Aliud opusculum, cui titulus est *De morte non timenda,* Gilberto de Tornaco etiam certo attribuendum est. Etenim in antiquo ms. Monasterii B. Mariae Virginis, Tornaci, olim sub eius nomine exstabat[2]. Insuper authenticitatem libelli admittit Em. Card. Ehrle[3], scriptorum medii aevi doctissimus indagator. Analysis etiam, cui notabili ex parte hunc non mediocre opusculum subiecimus, methodum, stylum necnon et ideas consuetas Gilberti Tornacensis nobis clare patefecit[4]. Exstat nunc

---

[1] Cf. De Poorter, *Eruditio Regum,* VII. In recensione Perusina Bibliothecae Romanorum Pontificum an. 1311 facta, habetur sub n°. 197: « Item, epistolam fratris Guiberti de Tornaco ad dominam Isabellam, sororem regis Francie scriptam, de subtili lictera in cartis vitulinis, que incipit in secundo folio: ' rebus eternitatis eius ', et finit in penultimo: 'precibus satagebat' et est in tabulis sine copertura et clausoriis ». Cf. Ehrle, *Historia Bibliothecae Romanorum Pontificum,* Romae 1890, I, 48. [2] Sbaralea, l. c. 309; Dirks, l. c. [3] *Historia Bibliothecae,* 103. [4] Prologus opusculi idem omnino suadet, ut cuique legenti patet: « Cum propriam imperitiam, fratres carissimi, sub secreti sui silentio latere non permittitis, penuriam meam fraternae pietatis obsequio publicatis et verbi

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tractatus, in Bibliotheca Municipali Duacensi, cod. 374, saec. XIII/XIV, fol. 108-137 [1], et Parisiis, in Bibliotheca Nationali, *Nouv. Acq. lat.*, cod. 480, saec. XIII, fol. 1r-37v [2]. Incipit: *Cum propriam imperitiam.* — Explicit: *et sapienter se gerens plurima recuperat quam amisit* [3].

---

vectigal et naulum exigitis a paupere, qui de terra nostis aurum eruere, qui divitiis exuberatis sapientiae, quibus nostis proximos spiritualis dulcedinis adipe saginari. Verbis igitur imperiti veniam dent periti, cum me compellat scribere fraterna caritas et auctoritas postulantis. Obsecundavit humilitas, sed excuset vestra sanctitas et stilum dirigat et verbum informet divina pietas et maiestas. Sermo siquidem humanus humanis deservit ingeniis, sed divinus in potestate dantis est, non in facultate dicentis ».

[1] *Catalogue général des manuscrits des Bibliothèques Publiques des Départements: Arras*, Paris 1878, VI, 209-210. In fine huius opusculi, a secunda manu habetur: *Editus a Guiberto Tornacensi, ordinis fratrum minorum.* [2] Cf. L. Delisle, *Bibliothèque Nationale: Manuscrits latins et français ajoutés aux fonds des Nouvelles Acquisitions,* Paris 1891, I, 282. In ms. tractatus quidem est anonymus, sed illum immediate subsequitur libellus Gilberti, *Eruditio regum et principum.* [3] P. Fidelis a Fanna antiquam editionem detexit in Bibliotheca Universitatis Lovaniensis sub signatura V. R. v. 9. Duo distincta opera simul ligata continet volumen. Primum intitulatur *Lavacrum conscientiae,* fol. 1-109r. Deinde fol. 1r, sequi-

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Libellus quidam *De septem verbis Domini in cruce* opus genuinum Gilberti Tornacensis esse certo constat. Absque fundamento authenticitatem eius negavit Oudinus [1]. Etenim, ut ex notis P. Fidelis a Fanna, O. F. M., accepimus, adhuc exstat Coloniae in Bibliotheca Seminarii Archiepiscopalis, cod. 47, saec. XV, fol. 30r-67v. Titulum sequentem praefert: « *Incipit tractatus editus a magistro Guiberto de Tornaco, Ordinis fratrum Minorum, de septem verbis Iesu Christi, Domini nostri, in cruce prolatis* ». Incipit: *Rorantes sanguine lacrimas et interrupta suspiria prae dolore,*

---

tur: *S. Bonaventurae Prologus in sermones de morte. — Cum propriam imperitiam, fratres carissimi* etc. Postea: *Eiusdem B. Bonaventurae sermo de morte. 1. Omnes morimur et quasi aqua dilabimur in terramque non revertuntur* (!). *Mulier quae dubium* (!) *fuerat mortis occasio, causa maeroris* etc. — Continentur in hoc opusculo decem sermones de morte, quorum ultimus incipit: *Omnes morimur etc. Sicut graviter aestuante sitis ardore* etc. Explicit fol. 53r. *Et electorum affectus in Deum transferret ita ut eos penitus alienet, ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.* Folio eodem, verso: *Beati Bonaventurae Sermones de morte finiunt feliciter.* Solum conclusio opusculi non concordat cum textu codicum hucusque cognitorum.

[1] L. c., 501.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cor meum insensibile, cor inolita pravitatis consuetudine plurimum obduratum, emitte. Explicit: *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio! Pater in manus tuas commendo spiritum meum, qui vivis et regnas in saecula saeculorum.* Ms. a fol. 56-67 varia detrimenta subiit et incompletum P. Fideli a Fanna visum fuit.

Ultimo loco superest insignis tractatus *De nomine Iesu,* sub nomine S. Bonaventurae iam ab anno 1506 [1] et postea a Bonelli impressus [2]. Revera hoc opusculum, a quodam Fratre Minore scriptum [3], non est inter opera Seraphici Doctoris collocandum. « Pater Fidelis a Fanna putavit opus esse F. Guiberti de Tornaco [4] ». Et quidem omnino recte. Antiquitus enim illi attributum erat in aliquo ms.

---

[1] Cf. S. Bonaventura, *Opera omnia,* Proleg. c. 2, n. 13, Ad Claras Aquas 1901, IX, XIV-XV. [2] *Supplementum ad omnia opera S. Bonaventurae,* Tridenti 1774, III, 495-609. De dissertatione eiusdem circa originem bonaventurianam huius opusculi cf. *Prodromus ad omnia opera S. Bonaventurae,* lib. 8, c. 2, n. 19, ibid., 748-750. [3] Cf. *Serm.* 1, n. 11, 506, *serm.* 3, n. 22, 520-521, *serm.* 8, n. 75, 576 etc. [4] S. Bonav., *Opera omnia,* l. c.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

abbatiae S. Martini ad Tornacum [1]. Insuper indicia ex codicibus sumpta idem suadent. Etenim in cod. Coloniensi iam citato, fol. 1r-29r, invenitur tractatus *De nomine Iesu* immediate ante opusculum *De septem verbis Domini*. In cod. lat. 17511, fol. 163r-196v, Bibliothecae Nationalis Parisiensis, quod ex abbatia S. Martini de Tornaco provenit [2], post conclusionem tractatus habetur « epitaphium magistri Gilberti [3] ».

Praeterea, nil obstat quin Gilbertus de Tornaco auctor sit illius opusculi. Etenim, in tractatu *Eruditio regum et principum*, loquens de scriptis antiquorum sapientum, sic ait [4]: « Philippus, rex Macedonum... et eminens fuit in bellis et eminentior in scripturis, nisi quia scripturae dicendae non sunt quae nomen Iesu sonare nesciunt et pietatem fidei non ostendunt ». Haec declaratio necnon et dicta quae occurrunt in suis *Sermonibus* [5] satis indicant quod Gilbertus fuit cultor SS. No-

---

[1] Sbaralea, l. c. [2] Lecoy, l. c., 150. [3] Cf. supra, p. XVI. [4] L. c., 22. [5] Serm. *De Epiphania*, inter *Sermones de Sanctis*, Florentiae, Bibl. Nation., *Conv. Sopp.* G. 1. 520, fol. 227r-228r.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

minis: quapropter consentaneum est eum praesens opusculum scripsisse.

In hanc partem etiam quaestio solvitur si comparatio instituatur inter opusculum *De nomine Iesu* et scripta genuina Gilberti de Tornaco. Ibi enim iterum legitur [1]: « Non habebant nomen Iesu litterae philosophicae, propter hoc deceptoriae ». In *Serm.* 3 [2], habetur exhortatio ad pacem et concordiam fere iisdem terminis ac in tractatu *De Pace* [3]. Quod *Serm.* 8 [4] tradit de ira, in opusculo hic edito [5] occurrit quasi litteraliter: in utrisque scriptis verba Senecae accommodantur, nomine istius philosophi tacito. Saepe etiam ad verbum concordant ea quae docent de angelis opuscula *De pace* et *De nomine Iesu* [6]. Multa alia addi possent, ex doctrina mystica et ex stylo deprompta, sed quia, favente Deo, editio istius pulcherrimi tractatus prodibit, de his tunc sermo prolixior erit.

Tractatus iste notabilem influxum habuisse videtur saeculo XIII et tempore posteriori.

---

[1] *Serm.* 1, n. 8, l. c., 502. [2] Num. 22, l. c., 520. [3] Pag. 2-3. [4] Num. 81, l. c., 584. [5] Pag. 160-161. [6] *Serm.* 9, n. 94, 599, *De pace,* 38; ibid., n. 95-98, 599-600, *De pace,* 54-54; *serm.* 7, n. 60, 563 et *De pace,* 69.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Hoc praesertim constat ex numero notabili codicum in quibus adhuc hodie exstat. Praecipua mss. habentur: Parisiis, Bibl. Nation., lat. 17511, fol. 163-196v; ibid., *Nouv. Acq. lat.*, 202, fol. 157-177 [1]; Trudonopoli (S. Trond) in Belgio, in Bibl. Fratrum Minorum, cod. sine sign., saec. XV, fol. 126v-229v [2]. Traductionem anglicam, incompletam vero, detexit etiam P. Fidelis a Fanna, Londini, in Musaeo Britannico, addit. mss. 11748, fol. 147 sqq. [3].

Momentum historicum opusculi sedulo observari oportet. Ex historiae documentis constat quantam venerationem erga SS. Nomen habuit S. Franciscus [4], et post ipsum S. Bonaventura [5] et Ubertinus a Casale [6]. His ad-

---

[1] De isto codice, cf. Delisle, ***Bibliothèque Nationale, Manuscrits latins et français,*** etc., Paris 1891, II, 480. [2] Alia indicantur ap. S. Bonav., ***Opera omnia,*** IX, XV, videlicet Avenione Bibl. Munic., cod. 197; Mellicii (Melk), Bibl. Monasterii, cod. O. 19; Parisius, Bibl. Sorbon., cod. 458. [3] Haec versio ad saec. XV pertinere videtur. Incipit a ***Serm.*** 4 tantum. [4] Cf. I Celano, n. 86, n. 115; II Celano, n. 199. [5] ***Serm. in Dom. II Adv.***, inter ***Opera omnia*** IX 49b-50, ***In circumcisione serm.*** 3 et 4, l. c., 140-141; ***De quinque festivitatibus,*** l. c., VIII, 92-93. [6] ***Arbor Vitae crucifixae***, Venetiis 1485, lib. 2, c. 2: ***Iesus praenominatus.***

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

dendus est Gilbertus de Tornaco. Pietati eius debetur copiosissimus et pulcherrimus tractatus de SS. Nomine qui saeculo XIII scriptus fuit[1]. Forsan opusculum praecessit edictum Gregorii X, qui an. 1274, in concilio Lugdunensi, dirigente S. Bonaventura, omnes praelatos et sacerdotes exhortatus est, ut inter populos devotionem ad SS. Nomen promoverent.

§ IV. - *Tractatus De pace.*

De ultimo opusculo Gilberti de Tornaco nunc breviter agendum est.

---

[1] Cf. C. Mariotti, O. F. M., *Il nome di Gesù ed i Francescani,* Romae 1898, 35, 41-44; Franciscus Staidelius, O. M. Conv., ap. Bonelli *Supplementum* etc. XIII-XIV, in *Approbatione* operis. Iste, tribuens opusculum S. Bonaventurae, inter alia dicit: « Redeo ad S. Doctoris eloquentiam divinam potius quam humanam, cuius illustre specimen dedit in sermone quem de Laude melliflui nominis Iesu Christi Domini nostri habuit. Sermonem hunc amplissimum, seu mavis opusculum, dum attente relego, de Bonaventura verius affirmare mihi posse videor, quod de Nestore dictum legimus: « ex eius ore melle dulcior fluit oratio ». Nihil enim dulcius, nihil amabilius, nihil ardentius potest desiderari, ut plane vir sanctissimus dicendi copia et sententiarum ubertate se ipsum superaverit ».

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

De authenticitate istius tractatus nullum dubium exstat. Plane enim liquet tum ex ipso textu prologi [1], tum ex subscriptione cod. 671 Bibl. Munic. Atrebatensis [2], quod illum scripserit Gilbertus de Tornaco. Insuper catalogi et auctores idem testantur [3].

Libellus « religiosae dominae et in Christo carissimae sorori, Mariae de Dampetra, sanctimoniali de Flines, Cisterciensis Ordinis » dicatur. Haec erat filia Margaritae II de Constantinopoli († 1280), uxoris Guillelmi de Dampetra († 1251), comitis Flandriae. Anno 1252, iam regulam S. Bernardi professa erat, ut constat ex charta illius anni, in *Gallia christiana* edita [4]: « Margareta Flandriae et Hannoniae comitissa, universis praesentes litteras inspecturis, salutem. Noverit universitas vestra quod nos ecclesiam seu monasterium sanctimonialium 'de Honore B. M. Virginis', Cisterciensis Ordinis, quod nos pro remedio animae nostrae et domini Wilhelmi de Dampetra, quondam mariti mei, necnon et omnium antecessorum successorumque nostro-

[1] Pag. 1. [2] Pag. 187. [3] Cf. Sbaralea, l. c.
[4] Parisiis 1725, III, 453.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

rum iuxta Orchies primo fundavimus ac postmodum [1] ipsum translavimus iuxta Felines, specialius in Domino diligentes, maxime cum in dicto monasterio carissima filia nostra Maria se in Christi perpetuum dedicaverit famulatum, in perpetuum contulimus eleemosynam. Datum MCCLII ». Communiter dicitur quod Maria de Dampetra abbatissa illius monasterii fuit, tamen nomen eius in elencho abbatissarum non occurrit. Forsan hunc titulum habuit, honoris causa [2]. Probabiliter anno 1302 e vita decessit, « coenobii Flines alumna per annos ad minimum sexaginta [3] ».

De occasione necnon et tempore quo Gilbertus de Tornaco tractatum *De pace* scripsit, nihil certo statui potest. Solum liquet ex epistola dedicatoria quod prodiit opusculum immediate post vehementem disceptationem inter Cistercienses et Fratres Minores [4]. Saeculo XIII inter illos vivida frequensque contentio exstitit, ad quam Bertholdus Ratisbonensis in suis *Sermonibus* saepe alludit. Res ad hoc deducta fuit ut an. 1275 Capitulum generale Ord. Cist.

[1] Anno 1234 initium habuit monasterium; circa vero 1251 translatum est. [2] *Gallia christiana*, 454, nota b. [3] Ibid. [4] Pag. 2-4.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

statuerit[1] « districte praecipiens et suspendens ab altaris officio transgressores, quod praedictis Fratribus (sc. Minoribus) usque ad satisfactionem congruam nihil detur, nec recipiantur in domibus Ordinis nostri quacumque de causa, nisi cum principibus vel aliquibus praelatis venerint; nec in capitulis Ordinis praedicare permittantur; domus illorum nullus intret nec eisdem communicet in temporalibus vel familiaritatem exhibeat quoquo modo » etc. Anno 1276, hoc decretum « ad preces multorum praelatorum et magnatum » temperatum fuit, definitione solum in regno Hispaniae in suo robore permanente[2]. Forsan circa hoc tempus tractatus *De pace* compositus est.

Obiectum huius opusculi saepe in litteratura mystica Ord. Minorum, praesertim saeculo XIII, consideratur. Gilbertus de Tornaco enim docet quomodo pax interior solum invenitur in unione mystica animae cum Deo. In tractatu *Eruditio regum*[3] ac in *Epistola exhortatoria* ad B. Isabellam[4] idem tradit.

---

[1] Cf. Martène, *Thesaurus novus anecdotorum*, Parisiis 1717, IV, 1447-8. [2] Ibid., 1452. [3] L. c., 23-24. [4] Cf. De Poorter, *Un traité de pédagogie médiévale*, 197-198.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Quapropter doctrina Gilberti de Tornaco, a principiis augustinismi nec non et aureis libris Richardi a S. Victore praecipue derivata, non multum a mystica theologia S. Bonaventurae distat [1]; immo apud Seraphicum Doctorem omnes conceptus fundamentales tractatus *De pace* de facili inveniri possunt.

Multas relationes cum aliis scriptis Gilberti de Tornaco habet opusculum *De pace*. In primis iuvat notare quae leguntur in tractatu *Eruditio regum et principum*, epistola tertia, capitulo sexto [2]: « In illa ineffabili et excelsa Dei natura », ait auctor, « nihil tam proprium quam unitas, pax et concordia. Nam licet credamus fideliter et confiteamur alacriter tres personas in Trinitate, ipsa tamen Trinitas Deus unus est tam unitate voluntatis quam substantiae unitate. Hanc unitatem et pacem pro eorum captu proportionaliter universis distribuit creaturis, adeo ut nominetenus appelletur Deus unitatis et pacis. Ex hac igitur unitate Trinitatis quam super se con-

[1] De mente S. Bonaventurae egregie tractat cl. E. Gilson, *La philosophie de S. Bonaventure*, Paris 1924, 74-81.
[2] L. c., 88-89.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

templantur angeli, pacem et concordiam possident, vacantes iugiter unitati. Qui, sicut ab illo primo lumine splendorem luminis praesuscipiunt unde illustrantur interius veritate, unde lux effecti, lucis perfectae radiant claritate, sic unum effecti sunt non substantia, sed consensu et contemplata simplici unitate. In quibus ille apostata angelus qui dissensit, qui supra suam mensuram se extulit, dissentionis tumidae poenas luit. Factus est pro luce tenebra, et pro unitate et pace intrinseca dissipatus discordia. Unde ipse tam a semetipso discordat quam alios ex abundantia discordiae et furoris in arma dissentionis instigat. Stant nihilominus elementa pacis legibus foederata; statutae pacis vincula nulla insensibilis creatura dissolvit quibus eas Dei Verbum primae conditionis legibus iunxit, quae a pace sua quando deficiet, statim mundus esse desinet. Caelum aëri lucem, aër terris imbrem, terra victum et vitam viventibus administrat, et sic in unam compagem concordiae Deus cuncta dispensans et ordinans et rationalibus per insensibilia muta praedicans, ad pacem et cordiam nos invitat». Haec omnia materiam sex primorum capitulorum tractatus *De pace* ex-

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

hibent [1]. Praeterea, quod tradit liber *Eruditio regum et principum* de Thronis, quibus iudices debent conformari, fere ad verbum habetur in libello *De pace* [2]. Eadem relatio adest inter duo opuscula, ubi agunt de Seraphim [3]. Insuper multa communia habent tractatus *De pace* et sermones Gilberti *Ad solitarios,* qui occurrunt in sua celeberrima compilatione *Ad varios status* [4]. Ibi quatuor sermonibus considerat thema sequens: « *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se,* Thren. 3 28. In hoc verbo notatur contemplativae perfectio, quae serenata, sedens in suis affectionibus solitaria, separata a cunctis temporalibus, tacet, attenta meditationibus, *levat se super se* per contemplationem » etc. Considerationes suas absolvit, dicendo quod rem tradidit « prout bene exponitur in fine libri *De archa mystica* a Richardo de S. Victore »: quod etiam recurrit in tractatu *De pace* [5].

---

[1] Pag. 7-36. [2] *Eruditio regum,* etc., 73; *De pace,* 49-52. [3] *Eruditio regum,* etc., 84; *De pace,* 77. [4] Florentiae, Bibl. Nation., *Conv. Sopp.* G. 1. 520, fol. 37r-46r. Sermo 3 praesertim, fol. 41v-43v, *Sedebit solitarius et tacebit etc.,* fere totaliter invenitur in tractatu *De pace,* 135-141. [5] Pag. 184.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Libellus Gilberti de Tornaco olim impressus est. Prima editio invenitur in *Bibliotheca Patrum* [1], reimpressio vero in *Maxima Bibliotheca Veterum Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum* [2]. Istius editionis textus saepe corruptus erat, immo aliquoties inintelligibilis. Ad meliorem textum constituendum [3] duo manuscripta adhibuimus: Bibl. Nation. Parisiensis cod. lat. 8566, fol. 128r-158v (= P) et Bibl. Munic. Atrebatensis cod. 671, fol. 1r-41v (= A) [4]. Alios codices hucusque non cognoscimus. Cod. P ad saec. XIII pertinet et textum praebet optimum, quem generaliter accepimus. Cod. A e contra saeculi XIV est ac saepe errat: fere tamen ubique scriptor qui-

---

[1] Coloniae 1571-1618, XV, 703. [2] Lugduni 1677, XXV, 378-401. [3] Haec corrigenda sunt infra: p. 12, l. 1, lege *a sese* pro *ab eis;* p. 12, l. 10, omitte [*malam*]; p. 21, l. 10, lege *visionem* pro *visio;* p. 23, l. 14, *flumen* pro *flumem;* p. 34, l. 2, *acquiescent* pro *acquiscent;* p. 39, l. 6, *studeat* pro *studeant;* p. 40, l. 19, *differunt, hinc* pro *differunt. Hinc;* p. 46, l. 19, *contemplationis* pro *contemplatonis;* p. 57, l. 8, *Moysis* pro *Moysi;* p. 71, l. 20, *transeuntes* pro *traseuntes;* p. 85, l. 9, *rationalis* pro *rationabiliter;* p. 92, l. 18, *Terra* pro [illegible]*ram.* [4] Cf. *Catalogue général des manuscrits des* [illegible] *ques Publiques des Départements: Arras,* Paris [illegible] 266-267.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

dam, aetate valde posteriori, illum correxit ad normam codicis Parisiensis. Lectionibus codicum etiam adiungimus variantes in ultima editione repertas (= E).

Finem imponentes praefationi, publice gratias agimus in primis cl. H. Omont, Bibl. Nation. Parisiensis Praefecto, qui varias notitias circa codices Galliae nobis summa benevolentia communicavit, necnon et R. P. Andreae Callebaut, O. F. M., cuius documenta ad vitam scriptaque Gilberti de Tornaco spectantia nobis magnae utilitatis fuerunt. Fas sit etiam erga PP. Collegii S. Bonaventurae, qui nobis adiutorium consiliaque praestiterunt, grati animi sensus exprimere.

P. Ephrem Longpré, O. F. M.

Ad Claras Aquas, 8 decembris 1924.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

TRACTATUS DE PACE

[Epistola dedicatoria [a]].

Religiosae dominae et in Christo carissimae sorori, Mariae de Dampetra, sanctimoniali de Flines [b], Cisterciensis Ordinis, illustrissimae dominae Flandriae ac [c] Hanoniae comitissae filiae, frater Guibertus, dictus [d] de Tornaco, de Ordine [e] Fratrum Minorum, pacem pectoris et aeternitatis.

Benedicta Dei providentia, quae post nubilum serenum inducit, et post tenebras radios illustrationis [f] immittit! *Audita est in terra nostra vox* [1] exsultationis et salutis et sorores vestrae

[a] Cod. P habet rubricam: *Epistola unde totum opus pendet, scilicet de Reformatione pacis. Primum capitulum.* [b] P *Felines.* [c] E *et.* [d] E om. [e] E *ordinis* pro *d. o.* [f] E *illustrationibus.*

[1] Cant. 2, 12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

annuntiaverunt nobis. Iam *tempus* reconciliationis *advenit* [1], flores fructus parturient, quia flavit aura serenior; aspiravit austri temperies ut post aquilonis gelicidium [a] et abscessum fluant aromata gratiarum. Hoc est tempus quod ex praecordiis intimis, novit Dominus, diu desideraveram ut viderem et *desiderium pauperis Dominus exaudivit* [2], quoniam filii Dei, quos artifex omnis doli dispergere proposuerat, ambulabunt per Dei gratiam in consensu, in unam iuncturam eiusdem aedificii [3] coeuntes, Sancto Spiritu, qui est unus cum Patre et Filio, coaptante. Tempus enim transactum palestrae tenuit et concertationis imaginem in quibusdam, sed quievit animositas iurgiorum [b]; tamquam filiis se nobis offert Dominus et ultro se mentibus ingerit ut impleamur splendore deifico, qui eligimus in terra pacifice vivere et angelis caelestibus conformari, a mundi strepitu longe facti, Spiritui Sancto dantes silentium ut in cordibus nostris perennem celebret sabbatismum. Iam non inflabitur unus ad alterum nec inconsutilem Christi tunicam ulterius filii detractionis divident [c], quam Christi crucifixores di-

[a] E *gelu.* [b] E om. [c] E *derident.*

[1] Ibid. [2] Ps. 10, 17. [3] Cf. Ephes. 4, 16.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

videre nequiverunt [1]; nec iam nobis in pace coniunctis dabitur adversario locus ut subingrediens schismata generet et scissuras: factum est *utrumque unus et medius paries* [2] sepis resolutus est et destructus. Non adversus oculum erigetur manus nec manum despiciet oculus, sed agentur omnia divinis legibus ut pro invicem sint membra sollicita et sit Religio *corpus unum, sicut vocati sumus in una spe vocationis* [3], licet habitacula sint diversa; et sic per omnia et in omnibus Christus [a], *idem Deus omnium* [4] indivisus.

Ideo linguam meam solvit alacritas ad scribendum, quoniam hactenus obtenebratus tacui, sed ex abundantia laetitiae cordis os loquitur, eo quod scissura dissensionis ad unitatem consuitur et Religio, quae tempestuosis fluctibus et flatibus acta est, respirare coepit ad pacem. Procul lites et contentiones, procul maledicta mittantur! Pax enim testamentum Christi [5] et praeceptum est. Religiosorum unanimitas [b] iucunditas animorum, caritatis vinculum, perfectio sanctitatis, iustitiae regula, magistra doctrinae, morum custodia et in

[1] Cf. Ioan. 19, 23. [2] Ephes. 2, 14. [3] Ephes. 4, 4. [4] Rom. 10, 12. [5] Cf. Ioan. 14, 27.

[a] E om. [b] E add. *est.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

rebus omnibus laudabilis disciplina; non enim facit animam ad vindictam iracundiae prosilire. Nulla vel modica fuit ex parte Fratrum nostrorum vel magis [a] Ordinis offensionis occasio; quare tanto debemus in caritate coniungi ferventius et uniri, quanto magis inhaesit separatio vanitati, ne dixerim indignationi. Si quis enim arboris ramum in alteram partem vi detorqueat et inflectat, cum forte ramum remiserit, statim in id quod prius fuerat et ad locum proprium revertetur et ostendet quia vi fuerat inclinatus, non tamen rediit [b] violenter. Sed ut ad praesens sub silentio transeamus iniurias irrogatas Ordini, de quibus satisfactio vel saltem excusatio non processit, oportuerat omni iure et ad pacis obsequium publice ampliorem [c] fieri revocationem [d], sicut fuerat publice constitutum, sicut scriptum est [1]: *Homines indemnatos, caesos publice, miserunt in carcerem, nunc eiiciunt nos occulte.* Haec quomodocumque se habuerint, pacem sectemur in invicem et in omnes.

Vestrae vero dilectionis gratia, mitto vobis [e]

---

[a] E *licet magna.* [b] E *redibit.* [c] P *amplioris.* [d] E *revocationes.* [e] E om.

---

[1] Act. 16, 17.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

De Pace tractatum, stylo rudi confectum, quem dabitis, si voluerint [a], Sororibus ad legendum. Et ut series et continentia videatur, haec praemittuntur [b]:

Epistola unde totum opus pendet, scilicet *De reformatione pacis.*

De origine pacis;

De distinctione pacis in [c] divinam etc., et primo de divina pace in se [d];

De divina pace quantum ad effectum;

De pace angelica qua fruuntur [angeli [e]] in caelis;

De casu angelorum qui non servaverunt pacem in caelo neque [f] in terra;

Quomodo angeli qui ceciderunt nos impugnant et pacem nostram turbant;

Quomodo se habent angeli in caelo pacifice et quid exercent;

De ordinibus angelorum et suprema eorum hierarchia;

De secunda et tertia hierarchia;

Quomodo conformamur angelis in suis officiis et in aemulatione pacis;

---

[a] E *volueritis.* [b] E add. *Vale in Domino.*
[c] A *inter* et om. *etc.* [d] E *mundanam et humanam* pro *etc... in se.* [e] E *ipsi.* [f] AE *nec.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Quod pax angelica nostrae pacis est instructiva [a];

Quod motus angelorum non obviat paci et quieti ipsorum;

De pace mundana in generali [b];

De eadem etiam [c] in speciali;

De pace humana. Quod eam spiritus rationalis [d] appetit;

Quod [e] appetitam quaerit;

Quod quaesitam non invenit, quia subiacet vitiis;

Quomodo possumus cognoscere quod radix peccati vivit in nobis. Hoc ex incidenti;

Quod non invenitur pax, quia sumus in praeliis;

Quod non invenitur in controversiis;

Quod non invenitur in divitiis;

Quod non invenitur in deliciis;

Quod non in dignitatibus et excellentiis;

Quod non in terrenis [f] amicitiis;

Quod in secreto cordis invenitur;

Quod inventa nutritur;

Quod nutrita augetur;

Quod aucta perficitur;

Quod perfecta fruitur.

---

[a] A *infructiva.* [b] E *genere.* [c] AE om. [d] E *rationaliter.* [e] E om., item deinceps. [f] A add. *et.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput I.

De origine pacis.

Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur [1]. O beata pax quae filios hominum in filios Dei transfiguras, cuius dignitas et suavitas lingua carnis non potest exprimi, quia, sicut ait venerabilis [a] Augustinus, in libro *De civitate Dei* [2]: « Tantum est bonum pacis ut in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil [b] desiderabilius concupisci, nihil possit melius inveniri ».

Pacis autem origo Deus est, qui per suam sapientiam multiformem [c] et unicam per gradus, differentias et ordines universam speciem creaturae distinxit et mirabili varietate pulcritudinis decoravit. Sed ne multitudo schisma faceret et contra se dominatione [d] contraria repugnaret, concordiae legibus, sicut ipse principium unum est, univit cuncta concorditer, ut pax et unitas in omnibus perseverent: *Non est enim Deus dis-*

[a] E *beatus.* [b] E *nec.* [c] P *multiformam.* [d] E *damnatione.*

[1] Matth. 5, 9. [2] Lib. XIX, c. 9 (PL 41, 637).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sensionis, sed pacis [1], sicut Apostolus in omnibus docet Epistolis [a].

Inde est quod in angelis ordo dignoscitur et hierarchiae tres in novem ordines beatorum spirituum distinguuntur; et in stellis est ordo, quia, teste Propheta [2]: *Sol elevatus est et luna stetit in ordine suo;* et Ieremias [3] ait: *Dat solem Dominus in lumine diei, ordinem lunae et stellarum in lumine noctis;* et in libro *Iudicum* [4]: *Stellae manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Et [b] in ovili Iacob, agni sunt [c] albi et nigri velleris [5]; equos autem [d] varios Zacharias [6] ostendit. Sed et sponsa vallatur albedine liliorum [7], quae tamen nigra solis uredine non perdidit decorem suum [8]. Sunt et in domo patrisfamilias argentea vasa et aurea; sunt et fictilia [9], cuncta tamen in ministerium apta. Ordo est in angelis, ordo in stellis, ordo in vasis, ordo in personis ecclesiasticis, ordo in religiosis.

Hinc habet originem multiplicata diversitas in religionum ordine et religiosorum quoad habi-

---

[a] PA *ecclesiis.* [b] A om. [c] E *scilicet.* [d] E *item.*

---

[1] I Cor. 14, 33. [2] Habac. 3, 11. [3] Cap. 31, 35. [4] Cap. 5, 20. [5] Cf. Gen. 30, 35. [6] Cap. 6, 1. [7] Cf. Cant. 2, 1-2. [8] Cf. Cant. 1, 4. [9] Cf. II Tim. 2, 20.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tuum diversitatem, quoniam sic *adstitit a dextris regis regina deauratum* [1] habens habitum, *circumdata varietate,* et tamen *omnis gloria filiae regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta* [a] *varietatibus* [2]. Ipsa vero [b] varietas sapientiam annuntiat Creatoris et ipsa signum et causa est pulcritudinis et decoris: sic enim in citharis ex diversitate chordarum fit uniformis modulatio ad concentum [c]. Nonne plura sunt in corpore physico membra? membra tamen unum sunt [d] corpus; sic multae *ministrationum* [e], *operationum* et religionum *divisiones, idem autem Dominus* [3]. Sic divinae claritatis radius, licet unus in se permaneat, tamen [f] se variorum donorum multiplicat distributione.

Huius autem multiplicationis participio declaratur mirabilis pulcritudo, quia, nisi dissimiliter pulcra essent singula, valde pulcra non essent pariter universa. Non enim particularis aliqua creatura potuit totum capere quod erat divinae pulcritudinis et ideo summa pulcritudo varia participatione distributa est in singulis. Sic di-

---

[a] E *circumdata.* [b] E *enim.* [c] A corr. marg. pro *contemptum.* [d] PA *est.* [e] A add. *et.* [f] E *lumen.*

---

[1] Ps. 44, 10. [2] Ps. 44, 14. [3] II Cor. 1, 11.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

versi ordines in Ecclesia pulcritudinis et pacis unificae praetendunt insignia ut ex multis facierum personis, *eius quae in nobis est* [a] *donationis* [1], agantur Deo gratiarum actiones a multis. Nam quod unus Ordo non habet, alius habet; ergo sub compage mutuae caritatis habeat unus in altero quod non possidet in seipso. Omnes Ordines imitari non possum in habitus conformitate [b], statutorum diversitate, tamen omnes teneo in vinculo caritatis et in pacifica spiritus unitate. Nihil enim contrarietatis infert diversitas, ubi caritatis et fidei perseverat unitas. Haec enim repraesentat nascentis Ecclesiae institutionem, quia licet Christus dederit auctoritatem cunctis Apostolis, tamen uni Petro commisit Ecclesiam ad manifestandam Ecclesiae unitatem, quae consistit non tantum in sacramentorum communione, sed in multorum filiorum pacifica connexione.

Habemus ergo pacis originem ab eo qui pacis est auctor, pacis lator, pacis dator, pacis munerator, mira pulcritudine descendentem, et ideo speciali [c] privilegio nominis vocatur ab Apostolo [2] *Deus pacis et dilectionis.*

---

[a] E om. [b] E add. *et.* [c] E *spirituali.*

---

[1] Cf. Ioan. 21, 15-18. [2] II Cor. 13, 11.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput II.

De distinctione pacis in divinam [a] etc. Primo de [b] pace in se.

Recessurus Christus ad Patrem sub foedere testimonii sui reliquit discipulis suis [c] pacem: *Pacem,* inquiens, *relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis* [1]. Pacem nobis reliquit [d] iturus, pacem suam nobis dabit in fine venturus, pacem nobis reliquit in hoc saeculo, pacem nobis tribuet in futuro, tamen si in eius inventi fuerimus testamento; pacem nobis reliquit *ut hic diligamus ad invicem* [2], pacem nobis [e] dabit ubi nullam sentire poterimus discordiae [f] passionem.

Sed inolendum [g] est quod additur: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis* [3]. Haec est pax falsa [h] et vana quam homines videntur praetendere, qui diligunt mundum, in quibus non est unitas cordium. Dant enim sibi pacem et sumunt

[a] A om. *i. d.*, E om. *etc. Primo.* [b] E *deque.* [c] E om. [d] E *relinquit,* hic et deinceps. [e] A add. *suam.* [f] A om. [g] A *dolendum;* E *notandum.* [h] E *fluxa.*

[1] Ioan. 14, 27. [2] Ioan. 15, 12. [3] Ioan. 14, 27.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

ad invicem [a] ut ab eis [b] non sustineant persecutionem, sed nequit ullatenus [c] esse pax vera ubi non est vera concordia, quia disiuncta sunt corda: unde concordes dicuntur pacifici qui corde iunguntur. Sic ergo post pacis originem, pacis nobis Dominus ostendit discretionem [d].

Propter hoc nunc [e] pacem sine detrimento pacis dividamus, ut per derivationem pacis rivulos a fonte defluos videamus. Est ergo pax bona et mala. Bonam dixerim divinam [f], angelicam; [malam [g]] mundanam, humanam.

Divina autem secundum Apostolum *pax Dei est quae exsuperat omnem sensum* [1], de qua pollutis labiis, corde tenebris obscurato loqui vereor, immo verius balbutire. Cum enim ea, quae sensibus nostris adiacent, comprehendere laboremus nec comprehendere possimus [h] ad perfectum, quantumcumque per excessus theoricos elevemur, *pax Dei* superexaltatur et nostrum superat intellectum, sicut scriptum est: *Accedet homo ad cor altum et exaltabitur Deus* [2]. Quinimo quo intel-

---

[a] PE om. *e. s. a. i.* [b] PE *a sese.* [c] E om. [d] A corr. marg. pro *distractionem;* E *distinctionem.* [e] A *enim.* [f] E om. [g] PAE om. [h] E *possumus.*

---

[1] Philipp. 4, 7. [2] Ps. 63, 7.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

lectu Deum [a] capit [b] qui intellectum suum, quo vult Deum [c] comprehendere, nondum capit? Sed, ut ait Beatus Dionysius [1], divinam et archisynagogam pacem, hoc est principaliter congregativam [d], laudibus pacificis utique collaudemus. Ipsa est omnium unitiva [e] et consensus et connaturalitatis generativa [f]. Pax enim haec [g] dicitur ipse Deus in se ipso tranquillissimus, omnia revocans ad tranquillitatem et conservans pacem ordinis per totam rerum universitatem. Quid autem pax ista sit, solus Ipse qui pax ista dicitur, Deus, novit, quam magis honoramus per silentium et reverentiam quam digne possimus [h] exprimere per loquelam. Quis enim plene referat qualiter in unitate substantiae personarum Trinitas conquiescit, quomodo, cuncta faciens quietem et silentium, Deus agit, licet ab aeterno temporaliter fienda dixerit? Hoc tamen sobrie possumus dicere quod in illa [i] superexcellenti [k] Dei natura nihil tam proprium intelligere possumus secundum hominem

---

[a] E *sensum Domini.* [b] E *capiet.* [c] A *Deus.* [d] PE *congregatam.* [e] E *unitas.* [f] E *generatim.* [g] E *hic.* [h] E *possumus.* [i] PE om. [k] E *insuper in excellenti.*

---

[1] *De divin. nomin.*, c. 11 (PL 122, 1164).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

quam quietem et pacem. Non est enim in illa Dei natura dissensio, sed personarum distinctio, sed unitatis et pacis unifica repraesentatio, quod perscrutari temeritas est, credere pietas est, noscere vita aeterna est [a], hoc est [b] Trinitatem in unitate et unitatem in Trinitate. Dicimus [c] enim tres personas, sed non ad praeiudicium unitatis; dicimus unam substantiam, sed non ad confusionem Trinitatis; et licet Te, Domine, non possumus comprehendere, bonum est tamen Te semper quaerere, quia *bonus es, Domine, sperantibus in te, animae quaerenti te* [1]. Lux enim es et luces in tenebris; praesens es et non agnosceris; lucis enim refulgentiam excellentem oculi lippientes oderunt, quia *lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt* [2]. Et quomodo deesse posset summa pacis tranquillitas ubi est ineffabilis divinitatis unitas? Unde Filius divinitatem suam Patri consubstantialem ostendens: *Ego,* inquit, *et Pater unum sumus* [3]. Nec ab hac unitate Spiritus Sanctus, qui est Patris et Filii nexus et unio, separatur [4] ut et nos tanti capitis

[a] PE om. [b] E *hic* et om. *est.* [c] E rep. *dicimus.*

[1] Thren. 3, 25. [2] Ioan. 1, 5. [3] Ioan. 10, 30.
[4] Cf. S. Bonav., *De triplici via,* c. 3, § 7 (VIII, 17).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

membra conveniamus in unum per eumdem Spiritum Sanctum inspirantem concordissimam voluntatem, quodam caritatis igne conflatam, sicut scriptum est: *Rogo, Pater, pro iis qui crediturí sunt in me, ut omnes unum sint sicut tu, Pater, es in me et ego in te; ut ipsi in nobis unum sint* [1]. Haec est unio caritatis in gratia, cum in personis divinis sit identitatis unitas in natura.

Exemplum elegans proponamus [a] quod prosequitur beatus Dionysius [2]. Esto quod in una domo sint plura luminaria et eorum lumina in uno lumine uniantur; certum est quod unam efficiunt claritatem; nec posset aliquis lumina luminarium discernere ab invicem in aëre omnia lumina continente, cum tamen [b] illa luminaria proprias retineant discretiones in ipsa unitione. Inde patet quod si aliquod illorum luminarium de domo efferatur, totum secum deferret lumen suum, nihil avellens de lumine luminarium aliorum. Quod ergo in aëre corporali et luce corporea apparet secundum possibilitatem creaturae corporeae, multo fortius sciendum est et credendum est de super-

[a] A *videamus* et om. *q. p. B. D.* [b] E om.

[1] Ioan. 17, 20-22. [2] *De divin. nomin.*, c. 2 (PL 122, 1121-1122).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

substantiali deitate, quae non solum corporales, sed etiam [a] mentales incomparabiliter [b] superexcedit [c] unitiones. Manet igitur non solum dicta discretio in unitate essentiali in personis divinis non confusa, sed et personarum nulla est alia; habent tamen singulae personae propria distinctiva, de quibus non est ad praesens prosequendum, cum hoc non requirat materia inchoata.

Beata igitur Trinitas Deus unus est, tam unitate voluntatis quam operis, quam substantiae [d], et omnia vult unire. Omnia siquidem in unam concordem unit et conciliat harmoniam et conservat in proprietate sibi conveniente uniuscuiusque naturam. Ex huius pacis tranquillitate reportant homines pacem et concordiam et Deus obtinet [e] gloriam, quoniam ex eius muneribus nobis [f] divina gratia collatis per gratiarum actiones innumeras glorificari debet in nobis licet semper plenitudinem gloriae possideat in se ipso Dominus maiestatis, quoniam *gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis* [1]. *Pacem,* inquit Isaias [2], *Dominus dabit nobis.*

---

[a] E *et.* [b] P *incorparabiliter.* [c] A *excedit.* [d] E *substantia.* [e] E *optimus.* [f] P add. *a.*

---

[1] Luc. 2, 14. [2] Cap. 36, 12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Tibi, Domine, gloria tua maneat illibata; mecum bene agitur si pacem mihi dederis, conscientia serenata [a]. Usurpare gloriam tuam ultra non debeo, quoniam dixisti: *Gloriam meam alteri non dabo* [1]. Parce mihi, Domine; confiteor peccatum meum, toties [b] gloriam tuam usurpavi, quoties verbum praedicationis in populo protuli, quod ad te non retuli. Blandiebatur mihi favor populi [c] exterius quod [d] verbum bonum deprompseram, et exultabam interius, non ut inde [e] manifestaretur gloria tua, sed ut aliquantulum per rumusculos hominum increscceret fama nostra, non advertens quoniam in manibus tuis et nos et sermones nostri. Non enim [f] *labia nostra a nobis sunt* [2]; linguae nostrae *scribae sunt calami* [3]. Os et sapientiam, si qua [g] est, tu dedisti; talentum creditum [h] repetes cum usura. Tibi laus et gloria, tibi gratiarum actio, Pax aeterna.

---

a E *servata*. *b* E *quoties*. *c* A *popularis*. *d* A add. *non*. *e* E om. *f* E om. *g* E *quam*. *h* A corr. marg. pro *traditum*.

---

1 Isai. 48, 11. 2 Ps. 11, 5. 3 Ps. 44, 2.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput III.

De divina pace quantum ad effectum.

Ex ea suprema pace, quae est omnium unitiva, sicut omnia processerunt, ita omnia pacem appetunt et in unum pacis principium reducuntur et pacem retinent concorditer in semetipsis et ad sibi [a] proximas creaturas pacis legibus uniuntur; et haec [b] est pax ad Deum, ad proximum, ad se ipsum.

Pacem ad Deum habemus, si mandata eius in reverentia teneantur, quia [c] secundum Salomonis sententiam, *qui timet praeceptum, in pace versabitur* [1]. Pacem ad proximum, si *cum iis, qui oderunt pacem,* simus *pacifici* [2], nec demus occasionem discordiae sive liti. Pacem obtines in te ipso, scilicet cum post serenatam conscientiam iubilaeam praegustas laetitiam et clamas cum Propheta: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* [3].

Ergo, ut dictum est, Deus omnia unit in se ipso. Sicut enim adamas [d] quadam occulta virtute,

---

[a] A om. [b] E *hoc.* [c] PE *quod.* [d] E *magnes.*

Prov. 13, 13. [2] Ps. 119, 7. [3] Ps. 4, 9.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sicut aiunt, ad se ferrum attrahit, sic Deus omnem animam ad se rapit. Omnem vero creaturam quam condidit, prout eorum naturae [a] competit, quodam instinctu naturali secundum aliquam pacis resonantiam, unitatis speciem retinere facit, unumquodque conservat secundum propriam speciem, non turbatam per aliquam ad contraria mixtionem. Sicut enim singula sine confusione constituit, sic eadem in pace custodit et sic omnia pacem appetunt per hoc quod in supremae pacis participatione quodammodo unita sunt. Ut enim [b] dicit Beatus Dionysius [1]: « Natura simplex unitionis [c] pacifice unit universa sibi, et singula sibi ipsis et sibi invicem universa », sibi, inquam, ipsis ne diffideant, sed sint omnia in participatione unius simplicissimae naturae in una concordia.

Propter hanc enim naturam viventem beati angeli sibi subditos, inferiores dico ordines, ad suum superiorem reducunt et pacis aemulatione convertunt. Omnis enim manifestatio et processio luminum a Deo proveniens [d] nos largissime re-

---

[a] E *cuique.* [b] E om. [c] E *uni communis.* [d] E *praeveniens.*

---

1 *De divin. nomin.*, c. 11, (PL 122, 1164).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

plet et sicut unifica virtus restituit, et ad summi Patris unitatem et simplicitatem deificam nos congregat et convertit. Motus enim sola pietate, Pater excelsus sua lumina gratiarum effudit super nos et procedentia [a] in nos manifestantur per nos; sed primum infunduntur angelis ordine hierarchico secundum eorum distinctiones et per eos procedunt ad homines, non quod angeli sint [b] gratiae infusores. Illa vero virtus unifica divisa et dispersa colligit et componit et ex multis unum facit, et qui prius dissimilitudine fueramus aversi, multitudine diversi, pravitate perversi, convertimur [c] ad unum, Domino couniti.

---

[a] E *praecedentia.* [b] E *sunt.* [c] E *convertimini.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput IV.

De pace angelica qua fruuntur in caelis [a].

Qui facit concordiam in sublimibus suis [1] ad Trinitatis imaginem et exemplar pacem indidit angelis.

Considerantes enim unitatem Trinitatis super se, student unum fieri in se. Unde Pater Augustinus: « Pax, inquit, caelestis civitatis est ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo [2] ». Caelestem enim civitatem, quam Ierusalem [3], hoc est *visio* [b] *pacis*, Scripturae nominant, beati spiritus supernorum agminum inhabitant. Ibi sicut in conventu resident et perfectae pacis ordinem tenent; et ad istorum civium similitudinem formatur vita regularium, quia sub uno [c] abbate pacifico degunt [d], cui nomen Salomon, quod interpretatur *pacificus*.

In diversis ordinibus et officiorum gradibus angeli secundum regulam pacis vivunt, nullo

[a] E *quae in caelis.* [b] A *visionem.* [c] E *viro.* [d] PA om.

[1] Iob 25, 2 [2] *De civit. Dei,* XIX, c. 13, n. 1 (PL 41 640). [3] Apoc. 20, 2.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

indigent, et ideo non est [a] eis necessarium ut laborent. Non esuriunt, quia pane caelesti satiantur; non sitiunt, quia *de torrente voluptatis inebriantur* [1], *faciem Patris semper vident* [2]. Quia [b] prae ceteris rationabilibus creaturis perfectam de Deo cognitionem habent, amant Deum et desiderant, nec cruciantur [c] desiderio nec [d] laborant fastidio. Non impeditur eorum pacis tranquillitas ab affectibus mentis, non a varietatibus [e] temporis, non a rerum temporalium penuriis, non ab hostium insidiis. Ex his enim quatuor [f] pax saepe turbatur in nobis.

Singula intuere. Et primo de mentis [g] affectibus est videre. Non inducit eis timor pallorem, non ira ruborem, non labor sudorem, non aegritudo dolorem. Superant omnem igitur turbulentam affectionem. Stat enim protector in medio ipsorum, sicut [h] Dominus Iesus [i] in medio discipulorum, dicens illis: *Nolite timere, pax vobis* [3].

Etsi nihil est [k] vetustum, nihil in illa patria transitorium, non [est] ibi senectus, aut senec-

---

[a] E om. [b] E add. *vero*. [c] P rep. *cruciantur*.
[d] E om. [e] E *varietate*. [f] E om. [g] E *multis*.
[h] E *sic*. [i] E om. et add. *inhabitat*. [k] A add. *ibi*.

---

[1] Ps. 35, 9. [2] Matth. 18, 10. [3] Luc. 24, 36.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tutis defectus; nulla est ibi varietas temporis, ubi semper est identitas aeternitatis. Nobis autem modo succedunt tempora temporibus, ut interim apud nos nulla iucunditatis amoenitas perseveret, sicut varietas est in rebus omnibus. Virgr enim terrae nascentiumque [a] nostros recreat oculos et ad laetitiam sua specie [b] provocat, et in vere crescit et in autumno deficit et calore siccatur aestatis et frigore marcescit hiemis. Sed iucunditas pacis exuberans in illa beatissima civitate civium mentes semper sua recreat novitate: *Fluminis* enim *impetus laetificat Dei civitatem* [1]. Quia sicut per Isaïam dicit Dominus: *Declinabo super Ierusalem, sicut flumem, pacem* [2].

Sed de rerum penuria [c] quid dicamus [d]? Ibi pax sine turbatione, abundantia sine diminutione, satietas sine fastidio, quies sine taedio. Pax enim aeterna, ab aeterno Patre proveniens [e], removet dissensionem, abundantia defectionem, satietas famem, quies laborem. Propter hoc in voce prophetica dicitur: *Respice, Sion, civitatem solemnitatis nostrae, oculi tui videbunt Ierusalem ci-*

[a] PA *qui.* [b] E *suam spiritus.* [c] E *de ea.* [d] A *dicimus,* E *dicam.* [e] A om.

[1] Ps. 45, 5. [2] Isai. 66, 12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

vitatem opulentam, tabernaculum quod non transferetur; ibi magnificus Dominus noster [1]. Locus fluviorum, rivi latissimi et patentes [a]. Solet in civitatibus, ubi est solemnitas, esse copiositas, nec civitas de facili transfertur quae super flumina situatur, sed ad eam copiose bona de longinquis partibus advehuntur. In illa vero civitate superna semper est iugis solemnitas. Ibi effluentia gratiarum, illuc merita iustorum ascendunt. *De torrente voluptatis* [2] cives continue bibunt, bibentes inebriantur, inebriari gratias agunt; *Comedite,* inquit, *amici mei, et bibite et inebriamini, carissimi* [3]. Vae nobis qui in sudore vultus nostri modo comedimus panem nostrum! Sed exuti carne vinum amoris plenius haurire permittemur, si tamen [b] hoc in via meritis assequamur. Sed cum toti penitus feremur in Deum, eidem facti conformes et similes, ad convivium vel [c] ad coenam vocati sapientiae, non iam de calice moeroris, sed *de calice* Domini, qui *praeclarus est et* [d] *inebrians* [4], plenarie [e] hauriemus.

---

[a] E add. *campi.* [b] E *tum.* [c] E *ultra.* [d] PE om. [e] A *plenissime.*

---

[1] Isai. 33, 20. [2] Ps. 35, 9. [3] Cant. 5, 1. [4] Ps. 22. 5.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Haec [a] enim est ebrietas amoris excessus, qui sui reddit immemores, et evertere solet mentes; quod perfecte tunc erit in nobis, cum resumptis corporibus, induti stola duplici, noster penitus terminabitur appetitus; non [b] erimus madentes vino, sed ardentes Deo. Tollit autem omnem penuriam in angelis et beatis lignum vitae paradisi, cuius fructu reficiuntur continue, scilicet [c] sapientia Dei Patris, quae [d] fuit ab initio creaturae cibus angelorum. Sed *quando venit plenitudo temporis* [1], incarnata facta est redemptio peccatorum. Huius ligni contuitu phalanges [e] uranicae, id est caelestes societates, delectantur, et velut *adipe frumenti* [2] fructus dulcedine satiantur. Hoc est lignum vitae, quod vitam custodit pacifice et incolumen sine fine, sicut scriptum est: *Posuit fines tuos pacem et adipe frumenti satiat te* [3]. Filii nempe Ierusalem, quae sursum est mater nostra, paleas non manducant, quae [f] sunt pabula iumentorum, sed *frumenti* fruuntur *adipe*, quod purissimam dicimus similam, quod est [g] edulium angelorum.

---

[a] E *sed hoc.* [b] E *nec.* [c] A om. [d] E *qui.* [e] P *societates;* E *unice.* [f] E *quia.* [g] PE *et* pro *q. e.*

---

[1] Gal. 4, 4. [2] Cf. Ps. 80, 17. [3] Ps. 147, 14.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

O felices interim [a] *catelli* tui, Domine, *de mensa dominorum suorum* reliquias colligentes [1], ne famelici remaneant, et *deficiant in via* [2], egestate et fame steriles! Sic enim pauperibus tuis de tantis deliciis panis micam, vini stillam, ignis scintillam [b] immittis, quasi [c] de reliquiis tuorum civium, ut accendas desiderium et *in reliquis tuis praepares* [d] *vultum eorum* [3]. Omnes enim qui hanc internam dulcedinem tenuerunt vel gustare coeperunt, quidquid extrinsecus transitoriae delectationis [e] occurrit, despiciunt et ad illum cibum, quo mens illuminatur ad cognitionem et reficitur ad devotionem, tota aviditate festinant, ut sic [f] adipe et pinguedine animas suas repleant.

Quarto [g] etiam [h] pacem turbant hominum, ut frequentius, daemonum suggestiones; sed [i] ipsi de quibus loquimur has vicerunt, cum apostatici spiritus corruerunt; carnis delectationes, sed immunes a carnis contagione sunt; mentium elationes, sed ipsi in humilitate Deo serviunt; ho-

---

[a] E *iterum*. [b] A om. *i. s.* [c] E *quia*. [d] E *repares*. [e] E *delicationis*. [f] A *sicut*. [g] E om. [h] E *et*. [i] E *scilicet*.

---

[1] Cf. Matth. 15, 27. [2] Cf. Matth. 15, 32. [3] Ps. 20, 13.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

minum impugnationes, sed in pace pacifice vivunt, sicut scriptum est: *Absque pavore habitabitis in terra vestra; dabo pacem in finibus vestris; dormietis et non erit qui exterreat; auferam malas bestias et gladius non transibit terminos vestros* [1]. Cum igitur non timeant malitiam daemonis, lasciviam carnis, superbiam mentis, discordiam fratris, pax omnimoda stabilitur in eis. *Deus enim pacis,* sicut ait [a] Apostolus [2], sub eorum pedibus contrivit Satanam, ut viderent eum *quasi fulgur de caelo cadentem* [3].

[a] A *dicit.*

[1] Levit. 26, 5-6. [2] Rom. 16, 20. [3] Luc. 10, 18.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput. V.

De casu angelorum, qui non servaverunt pacem in caelo nec habent eam in terra.

Ergo, bone Domine [a], qui tibi servire debuerant, pacem non habuerunt stabilem, quoniam *invenisti in quibusdam tuis angelis pravitatem* [1]; *expulsi autem sunt, nec potuerunt stare, omnes qui operati sunt iniquitatem* [2].

Princeps enim discordiae, turbator pacis, dux cohortis apostaticae fuit Lucifer ille discolus, et qualis paterfamilias, tales et domestici eius. Ruentes ergo de altissimis et confracti, nunc Deo pariter [b] adversantur et paci; gaudent dissensionibus, gratulantur perturbationibus, quoniam princeps eorum diabolus foecunditate suae malitiae etiam [c] a semetipso discordat et ex abundantia odii satellites suos in arma [d] dissensionis instigat et ad bella furoris impellit, quia ipse ab initio *homicida fuit* [3]; nunc vero *sedet in in-*

---

[a] E *Iesu.* [b] E *pro ut.* [c] E *et.* [d] E *forma.*

---

[1] Iob 4, 18. [2] Ps. 35, 13. [3] Ioan. 8, 44.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sidiis in occulto [1], ut omne corpus Ecclesiae toxicatis suis iaculis vulneret in obscuro.

Callidis enim et obscuris consiliis simplices decipit, et ex parvis occasionibus artem decipiendi animas subtiliter quaerit; et cum velut iam occupata statione totus immergitur in Christi patrimonio [a] per nostram [b] negligentiam dominantur [c]. Sic enim in obsidione murorum fieri [d] consuevit, si posterula [e] vel pars exigua unius anguli [f] interrupta fuerit, omnis hostilis exercitus introibit [2]. Inde est quod in persona Ecclesiae triumphantis sponsa conqueritur dicens: *Filii matris meae pugnaverunt contra me* [3]. Quia qui fuerunt filii supernae Ierusalem, quae est mater nostra, post eorum lapsum non cessant sororem suam, militantem Ecclesiam, impugnare; et certe nunc usque conqueritur ipsa de turbatoribus pacis, qui nituntur dissolvere iucundum vinculum unitatis. Unius matris filii omnes nos regulares sumus. Quid ergo nos ad [g] invicem impugnamus?

---

[a] E *patrimonium dum.* [b] A *nostri.* [c] E *damnamur.* [d] E *fidei.* [e] P *postenula;* E *prius venula.* [f] A corr. marg. pro *angeli.* [g] E om.

---

[1] Ps. 10, 8. [2] Cf. Cassian., *De coenob. instit.*, V, c. 11 (PL 49, 226-7). [3] Cant. I, 5.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Singuli fratres sumus alterutrum [a]. Ecce ergo *quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum* [1]! Cessabunt scandala, glorificabitur Christus, si fraterna pace gaudeamus; et qui noluerit [b] hac pace gaudere, iudicium profecto portabit, quicumque est ille. Peccantes enim in fratrem, peccamus in Christum, quia quod *uni ex minimis fecistis,* dicit Dominus [2], mihi reputo esse factum.

Ruentibus ergo [c] angelis exivit cum eis et iurgium; purgatus est locus, exultavit exercitus angelorum, utique [d] beatorum; et secundum sacram Scripturam, *susceperunt montes pacem populo* [3] nuntiandam. Tunc velut *in cymbalis bene sonantibus* [4] concordi tripudio resonabat iugis gratiarum actio, quoniam montes et colles cantabant laudis praeconium coram Deo, et in aures Domini Sabaoth suavissimus influebat iubilus, quoniam ex ore ipsorum dulcis resonabat sonus. Vere *montes* sunt angeli in excelsum verticem pertingentes, claritate fulgentes, laudibus resultantes, quos Dominus investivit donis gratuitis

[a] E *inter nos.* [b] E *nolunt.* [c] A *igitur.* [d] E add. *et.*

[1] Ps. 132, 1. [2] Matth. 25, 40. [3] Ps. 71, 3. [4] Ps. 150, 5.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

et ornavit privilegiis gloriosis, sicut scriptum est: *Montes, qui in circuitu eius sunt, visitet Dominus, quia Dominus* [a] *in circuitu populi sui et montes in circuitu eius* [1]. Montes enim hos beatos [b] Dominus visitat ad gloriam, qui montes elatos et reprobos [c] damnavit ad poenam. Unde notabile est [d] et terribile quod subditur: *Omnes montes, qui in circuitu eius sunt, visitet Dominus, a Gelboë autem transeat* [2]. Montes enim Gelboë valde sunt steriles, quia nec rore nec pluvia irrigantur. Daemones sunt steriles, sine fructu bonorum operum, qui simul a dulcedine gratiae et gloriae excluduntur, et in poenam suam [e] sortiti sunt locum in aëre [f] caliginoso [g] inter caelum et terram. Ibi vident et invident et [h] torquentur [i]; vident angelorum gloriam, hominum perfectorum profectum et gratiam, et per invidiam contabescunt dolore, rancore, discordia inardescunt.

Utinam, Domine, repudiatio angelorum nostra fiat emendatio, ne cadamus per superbiam cum illo exercitu fastuoso! *Montes in circuitu visitat Dominus.* Cum sua benignitate dat Dominus [k]

[a] E om. *q. D.* [b] E *bonos.* [c] A om. *e. r.* [d] E om. [e] E om. [f] E om. [g] E *caliginosum.* [h] P om., E *quae.* [i] E om. [k] E om.

[1] Ps. 124, 2. [2] Cf. II Reg. 1, 21.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

gloriam et gratiam [a] angelis et hominibus. Sed si proiectus est [b] qui superbivit [c] in caelo, vae nostrae superbiae, quam [d] pulvis vilissimus exercet [e] in sterquilinio! Ego, ut de me interim loquar, superbiam in corde meo foveo, per quam cuiusdam inertiae languore tabesco; anima mea sine rore dulcedinis sterilis facta est, cor meum aruit, lacrymas devotionis non invenio, et sicut quidam famulus tuus de se ipso dicebat: « Tanta est cordis mei duritia; non sapit psalmus [f], non legere libet, non orare delectat ». Ubi est ista inebriatio spiritus, mentis serenitas, *pax et gaudium in Spiritu Sancto?* [1] Ideo [g] ad laborandum piger invenior, ad vigilias somnolentus, ad iram praeceps, ad odium pertinax, linguae et gulae indulgentior, segnior et obtusior ad praedicationem. *Omnes montes in circuitu* meo *visitat Dominus,* quos in humilitate sua [h] ferventes considero, devotos, unanimes, donis caelestibus affluentes; ad me autem non appropinquat, me transilit, quia superbia inventa est in me, et tumor infundenda repellit.

[a] E om. [b] E *proiecti sunt.* [c] E *superbiunt.* [d] P *qua,* E *quia.* [e] E *sumus.* [f] P *psalmum,* E *Christum.* [g] E *immo.* [h] A om.

[1] Rom. 14, 17.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput VI.

Quomodo angeli, qui ceciderunt, nos impugnant et pacem nostram turbant.

Sicut in Apocalypsi legimus: *Factum est praelium in caelo* [1], quando per superbiam ab initio temporis eiectus est diabolus de caeli palatio; et quia fidelium pacifica conversatio quotidie magis et magis eum exasperat, contra viros spirituales, qui *caeli* censentur nomine, praelium hoc continue perseverat.

Non enim miratur si absorbeat fluvium, sed habet fiduciam quod Iordanis influat in os suum [2]. Antiquus enim hostis hoc pro magno non habet, cum sub dominio suae tyrannidis terrena quaerentes tenet, sed illos insidiando rapere appetit quos pro amore supernae patriae quotidie per humilitatem proficere cernit. Manifestantur autem [a] eius insidiae; superatur quotidie virtute fidei cum adiutorio Christi, quoniam *qui confi-*

[a] E *hic.*

[1] Cap. 12, 7. [2] Cf. Iob 40, 18.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

dunt in illum intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiscent illi quoniam donum et pax est electis Dei [1]. Pax enim victoriam sequitur, victus confunditur, victor laurea coronatur; unde victi a nobis daemones non sine confusione discedunt [a], quia retorquetur in eos confusio, quae in [b] nos manebat si ab eis fuissemus elisi [2]. Victi vero a nobis duplici contritione conteruntur: primo, quoniam haereditatis terram, in qua creati sunt, tam temere perdiderunt et eam ad extraneos devolutam cernunt, ut cum Propheta plangant, lamententur et dicant: *Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos* [3]. At Christi pugiles et athletae intrepidi, *sicut exultant victores, capta praeda, quando* [c] *dividunt spolia* [4], cum alacritate profitentur et dicunt: *Persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant; conteram* [d] *illos nec potuerunt stare, cadent subtus pedes meos* [5].

---

[a] A corr. marg. pro *discordant.* [b] Ita P corr., AE om. [c] E *quum.* [d] A *constringam.*

---

[1] Sap. 3, 9. [2] Cf. Cassian., *Coll.* VII, *De animae mobilitate et spiritalibus nequitiis*, c. 21 (PL 49, 696). [3] Thren. 5, 2. [4] Isai. 9, 3. [5] Ps. 17, 38-40.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Licet [a] enim in illis malignis spiritibus non sit crudelitas uniformis [b], — quidam enim homines seducunt suis irrisionibus, quidam vexant in corporibus — in hoc tamen omnes conveniunt quod omnes inimicantur [c] animabus. Sed tunc praecipue praevalent in homines, cum eorum obsederint mentes. Tanta vero densitate spirituum malignorum constipatus est aër iste [d], qui inter caelum et terram diffunditur, ut satis utiliter humanis aspectibus divina providentia subtrahantur: alioquin terrore suorum concursuum vel horrore suorum vultuum, in quos pro divina permissione se transformant et in diversas species transfigurant, deficerent homines prae timore aut eorum consortio nequiores redderentur quotidie et inter homines et potestates aëreas fieret quaedam perniciosa familiaritas [1]. Licet autem suis impugnationibus nos impetant, cum inter eos [e] conflictus et discordiae perseverant, in hoc tamen pariter uniuntur quod nos unanimiter persequuntur [f], et sic noster Cassianus [2] ait: « Necesse est unum-

[a] A corr. marg. pro *latet*. [b] E *conformis*. [c] E *inimici sunt*. [d] E om. [e] E *nos*. [f] A *prosequatur*.

[1] Cfr. Cassian., *Coll.* VIII, *De principatibus*, c. 12 (PL 49, 740-1). [2] *Coll.* VII c. 19 (Ibid. 694).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

quemque spiritum ita sigillatim [a] impugnationem mentis arripere; ut cum aut victus abscesserit, alii eam spiritui cedat acrius impugnandam; aut certe si victor extiterit, alteri nihilominus tradat similiter [b] illudendam ».

Caput VII [c] [1].

Quomodo se habent angeli in caelo pacifice et quid exercent.

Cum sublatus fuerit, timebunt angeli et territi purgabuntur [2]. Sub modo futuri temporis, hic [d] a beato Iob [e] praeterita describuntur. Cum enim Lucifer et eius complices ab arce beatitudinis corruerunt, in ruina tanta boni angeli expaverunt. Quorum casus eosdem terruit et purgavit; terruit, ne Creatorem suum despicerent; purgavit, ut electi soli cadentibus [f] reprobis [g]

[a] A *singulatim.* [b] A om. [c] Codex habet hic in margine a manu posteriori: *nota usque ad 12 capitulum.* [d] E *sic.* [e] E om. [f] E *ardentibus.* [g] A *reprobi.*

[1] Cf. S. Gregor. M., *Moral.*, XXXIV, c. 7, n. 12 (PL 76, 724). [2] Iob 41, 16.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

remanerent. Et dividente Domino lucem a tenebris [1], illi sunt per superbiam pertinaciter obdurati, sed isti per humilitatem divinitus in gratia confirmati: *Dispergis* enim, *Domine, superbos in furore tuo et humilias arrogantes. Respice cunctos superbos et confunde eos, et contere eos in loco suo* [2].

Impiorum locus superbia est. Impius ergo in loco suo conteritur, quia [a] superbia qua elevatur opprimitur. Unde cum efferendo se in cogitationibus suis Lucifer erexit, lumen gloriae, quod invenire potuisset, abscondit: *Deiecisti enim eum cum allevaretur* [3]. Inferiora superbi petunt dum superbiendo altiora appetunt, et quo magis extollendo se erigunt, eo magis ruendo inferius tendunt. Foris ergo, foris impudicissimi canes! Reliquistis proprium domicilium; vobis praeparatae sunt in sedibus infernalibus perpetuàe mansiones, iudicium vobis severissimum praestolantes.

Beati vero vestri concives angeli, nunc in claustro beatitudinis pacifice congregati, quieti student, sedent et silent, et officia sibi competentia secundum differentias suae discretionis exer-

[a] E *qua*.

[1] Cf. Gen. 1, 4. [2] Iob 40, 6-7. [3] Ps. 72, 18.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cent; et quia *non est inter eos Satan nec occursus malus* [1], iugiter pacem fovent. Sedent enim, ut loquamur metaphorice, quoniam a laboribus requiescunt. Student in libro vitae, Dei magnalia contemplantes; ibi legunt et hauriunt quod necesse est eis, contemplantes faciem Creatoris; vident enim, Domine, faciem tuam semper [2]. Ibi legunt sine syllabis [a] temporum quid velit aeterna voluntas tua; legunt et diligunt, semper legunt et non praeterit. Eligendo enim et diligendo, ipsam legunt incommutabilitatem consilii tui. Non clauditur codex eorum neque plicatur, quia tu ipse hoc es illis et es in aeternum, quia super hoc firmamentum ordinasti eos quod firmasti super infirmitatem inferiorem [b] populorum, ubi susciperent et cognoscerent misericordiam tuam temporaliter enuntiantem te, qui fecisti tempora, sicut [c] dicit in libro *Confessionum* Beatissimus Augustinus [3]. Ad hanc sapientiam sponsa desiderans pervenire ait: *Ibi me docebis* [4], ut scilicet cognoscam *verum Deum, et quem misisti Iesum Christum* [5], *nec cognoscam ex parte, sed* [d] *sicut*

[a] E *libris*. [b] A *in florem*. [c] E *sic*. [d] A add. *cognoscam*.

[1] III Reg. 5, 4. [2] Cf. Matth. 18, 10. [3] Lib. XIII, c. 15, n. 18 (PL 32, 852). [4] Cant. 8, 2. [5] Ioan. 17, 3.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cognita sum [1], ubi nosse meum non habebit errorem sicut nec esse mortem nec velle offensionem; et iuxta illud Propheticum: *Vivemus in conspectu eius, sciemus, sequemurque* [a] *ut cognoscamus Dominum* [2]. Illuc ergo properet, qui doceri desiderat. Illum doctorem apprehendere studeant, qui reddet omnes discipulos suos Dei docibiles.

Silent [b] etiam [c] ibidem angeli, quia nihil est ultra quod desiderent, unde inquietudinem mentis sentiant. Silent, quia mirantur quod vident; silent, quia [d] totum est gratuitum quod habent, non invenientes aliquid condignum in quo pro beneficiis collatis respondeant. Silent, quia Deo obediunt et in nullo contradicunt, non similes Lucifero, qui solvit ibidem silentium dicens: *In caelum conscendam, super astra caeli exaltabo solium meum* [3].

Angelo siquidem et homini, ut naturae suae mutabilitas monstraretur, necesse fuit ut uterque tentaretur, tentatus probaretur, probatus confirmaretur, quatenus [e] in iis qui vincerent [f], com-

[a] A *sequemur.* [b] A *scient.* [c] E *et.* [d] E om. *mirantur... quia.* [e] A *quamvis.* [f] E *viverent.*

[1] I Cor. 13, 12. [2] Osee 6, 3. [3] Isai. 14, 12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

mendaretur Dei misericordia, sed in eis qui vincerentur propriaque [a] iniquitate delinquerent, appareret Dei iustitia.

Exercent etiam [b] officia propria, sicut eis Salvator indixit et in suis ordinibus [c] eosdem distinxit. Ad hoc enim divinae dispensationis provisio gradus diversos constituit et ordines esse distinctos [d] voluit, ut dum reverentiam minores maioribus exhiberent [e], maiores minoribus dilectionem impenderent, et una concordia fieret ex diversitate connexorum et recte gereretur [f] administratio singulorum. Nec [g] enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi huius magnus eam differentiae ordo servaret.

Caelestium ergo militiarum exemplar nos instruit ut conformemur ad pacem. Quia, cum sint ordines distincti in angelis, liquet quia non aequales sunt, sed in potestate et ordine differunt. Hinc se pax et caritas vice mutua complectuntur, et concordiae manet unanimitas et in Deo beneplacita dilectione sinceritas.

---

[a] A *et.* [b] E *et.* [c] PE *cordibus.* [d] E *distinctionis.* [e] P *exercerent.* [f] A corr. marg. pro *regeretur.* [g] A *neque.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput VIII.

De ordinibus angelorum et suprema eorum hierarchia [1].

Pax multa, Domine, diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum [2]. Cum enim sis imperturbata mente tranquillus, immo tranquillitas ipsa verius, tuae pacis gaudia conceduntur regulam caritatis tuae diligentibus. Pax enim es, litigare non nosti, consentientibus assides, refugis litigantes.

Scandalum autem pati, hoc est [a] electis tuis per discordiam separari. Huiusmodi [b] autem scandala spiritibus reprobis contigerunt, qui se a beatorum [c] consortio suis factionibus absciderunt. *Pax autem super Israël* [3], angelos bonos Dei faciem contemplantes et in unum connexis men-

[a] E add *ab*. [b] E *huius*. [c] E *bonorum*.

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 9 (II, 237-257); *In Hexaëmeron, Collatio XXI*, n. 16-33, et *Collatio XXII* (V, 434) ubi frequens et omnino seraphica doctrina traditur.
[2] Ps. 118, 165. [3] Gal. 6, 16.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tibus, licet distinctis ordinibus [a], officia sua salubriter et humiliter exequentes!

Sed quid de angelicis spiritibus et beatis viles vermiculi loquimur, caecutientes in tenebris, quos habitare scimus et credimus in supernis? Nostris [b] praeeminent [c] intellectibus et cogitationibus [d], digne de eis loqui non possumus, qui [e] eos [f] non cognoscimus. Ipsi sunt domestici Dei, caeli concives, principes paradisi; gemmae sunt pretiosissimae in suis ordinibus collocatae, quibus caeleste palatium adornatur. Qui vero, quales et quanti sunt, ab humano sensu nullatenus penetratur. Quales autem eos fecit et qualiter ordinavit, sola Dei perfecte [g] sapientia comprehendit; nec de ipsis novimus aliquid, nisi quod nos Deus per eosdem docuerit [h]. Sciunt enim sua ministeria et mysteria, quantum sufficit ad nostram eruditionem [i] et quantum sufficit ad eorum beatam comprehensionem.

Docemur autem ab eis, qui se ipsos sanctis revelavere Theologis, novem ordines angelorum tres hierarchias constituere, quod nos sacros [k]

---

[a] PE *cordibus.* [b] E *in miseris miseriis* pro *i. s. N.* [c] A *supereminent,* E add. *enim.* [d] E add. *ut.* [e] E *quia.* [f] A *eosdem.* [g] E *perfecta.* [h] E *docuit.* [i] E *conditionem.* [k] E *sanctos.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Principatus latine possumus appellare. In primo siquidem principatu, tres sunt ordines Deo propinquiores, deiformes [a] et subiectis ordinibus excelsiores. Pares autem sunt in dispositione, una distincti singulari gratia; et ex eo secundum aliquid [b] aequales existunt quod [c] omnes immediate Deum respiciunt. Ardent ibi Seraphim dilectione, fulgent Cherubim cognitione, praeeminent [d] Throni iudicii discretione.

Declarat autem ordinis uniuscuiusque cognominatio, quod singulare est illi et proprium [e] per excellentiam doni in deiformitate collatum. Quod enim datum est eis in munere, discernendum erat et nomine. Deus ergo noster, ignis ardens, immo caritas superfervens, sancta Seraphim agmina sic attraxit et in consimilem caritatis ardorem in se rapuit et absorbuit, ut *unus cum Deo spiritus* [1] videantur, sicut ferrum candens, calorem et colorem ignis induens, non ignitum, sed ignis vel igneum esse cernitur. Hos beatos [f] spiritus Isaias in spiritu sublevatus, stantes, volantes, velantes, clamantes inducit: *Se-*

[a] E om. [b] E om. *s. a.* [c] E *qui.* [d] E *eminent.* [e] P add. *et.* [f] E *bonos.*

[1] I Cor. 6, 17.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

raphim, inquit, *stabant super illud, sex alae uni et sex alae alteri; duabus velabant faciem eius et duabus velabant pedes et duabus volabant et clamabant alter ad alterum* [1]. Lucifer cecidit de caelo, sed Seraphim *stabant super illud.* Interpretantur autem ardentes vel succendentes. Ardent autem in se ipsis et succendunt alios igne divinae dilectionis; stant per amorem in Deo fixum et [a] inflexibilem, quoniam ab amato divelli non possunt. Volant [b] per impetum amoris incessabilem, quia in amatum transeunt; velant [c] per affectum circumincessabilem [d] quantum ad ea quae eis de Deo velata [e] sunt. Haec sunt caput et pedes, altissima scilicet et profundissima quaedam mysteria; et quantum ad hoc, *in circuitu* [f] Dei sunt, quia [g] ab eis comprehendi non possunt. Haec autem sunt principium mundi et finis, quae Deus revelasse non legitur creaturis. Clamant autem per gratiarum actionem continuam et infatigabilem, excitantes eos per gratiam [h] qui in amore Dei torpescunt. Et tu, bone Iesu,

---

[a] P om. [b] E *velant.* [c] E *volant.* [d] E *circum circa incessabilem.* [e] E *revelata.* [f] E *intuitu.* [g] E *quae.* [h] A om. *p. g.*

---

[1] Cap. 6, 2.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

confideli tuae revelas dulcedinem tuam: *Introducis eam in cellam vinariam* [1], caritate sobriam et inebriatam; habes [a] in ea *Seraphim volantes*, quia introducta est per cognitionem; *stantes*, quia inebriata est et mente excedens per dilectionem; *velantes* [b], quia ebrietas ista sobria est per discretionem, *clamantes* per devotionem [c].

Secundus est ordo beatorum [d] spirituum, quos Cherubim nominamus, qui post Seraphim immediate plus ceteris subditis [e] divina mysteria penetrant et susceptum divinae sapientiae lumen ceteris copiosius administrant. Unde *Cherubim* interpretatur plenitudo scientiae, suam notitiam et sapientiam, quam acceperunt a Deo, significantes hoc nomine. Nam in eo quod habent, significatur eorum receptio; in eo quod plenitudinem habent, notatur perfectio [f]. Nisi enim accepissent, omnino [g] habere non potuissent. Primum igitur lumen sapientiae divinitus datum accipiunt, illustrati hoc munere luminis datorem cognoscunt, divinam pulcritudinem contemplantes [h], per quam

[a] E *habens*. [b] E *volantes*. [c] E *decretionem*. [d] E *bonorum*. [e] A om. [f] E *profectio*. [g] E *continuo*. [h] A *contemplantur*.

[1] Cant. 2, 4.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

et ex qua et in qua tam pulcre et rationabiliter ordinata cuncta leguntur; et per spiritus istos aliis seriatim lumina divina traduntur. Divina siquidem bonitas primo et principaliter et per se in eos, qui proximi sunt, operatur, et per illos in alios qui sequuntur.

De iis autem spiritibus beatus Ezechiel [a] loquitur, dicens quod Cherubim alas elevabant, expandebant, alis tinnitum [b] faciebant et velabant [1]. Quid in alis, nisi otium contemplationis? Ala enim sursum ferens avem et acuta existens in summitate, eam in aëre suspendit et a terra dividit, quia per contemplationem sursum agimur et occulte secreta rimamur, suspensi desiderio in supernis, donec separetur apex mentis ab omni faeculentia rei sensibilis. Audiamus alarum elevationem: *Elevantia*, inquit Propheta, *Cherubim alas suas, exaltata* [c] *sunt a terra.* Haec est ergo prima species contemplatonis: elevatio mentis, cum anima, volens Deum contemplari, per amorem se dividit a terrenis, quae penitus oculum non excaecant, cum sobrie possidentur, tamen

[a] A *Sacra Scriptura* pro *B. E.* [b] P *tremitum.* [c] PA *exaltati.*

[1] Cap. 10, 1-20.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

frequenter ex eis quaedam caligo fumosa per affectionem nimiam resolvitur, per quam oculus intelligentiae tenebratur. Divinae siquidem incomprehensibilitatis radio lippientem oculum uniri posse non video.

Audiamus alarum expansionem et inveniemus meditationis imaginem. Tertio libro Regum [1] verba ista sunt: *Expandebant Cherubim alas suas super locum arcae.* Sicut enim aves, immobiliter se habentes in aëre, dicuntur alas expandere et attente quodammodo tremulis oculis aspicere quo debeant postmodum volare: sic anima contemplativa iam a terrestribus elevata, cum timore per meditationem diligenter attendit locum et patriam ad quam tendit. Hoc est extendere alas *super locum arcae,* id est patriam [a] animae.

Audiamus alarum tinnitionem. Ezechiel ait: *Sonitus alarum Cherubim audiebatur, quasi vox Dei omnipotentis* [2]. Haec est illa contemplationis species, quae dicitur *elevatio mentis,* quando scilicet anima fatigata desideriis intimis et crebris inundata suspiriis in se audit per revelationem vo-

[a] E *primam.*

[1] Cap. 6, 27. [2] Cap. 10, 5.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cem Dei loquentis. Cum enim a terrenis abstrahitur et in se tota colligitur, vox in ea Dei loquentis auditur, et disciplinis caelestibus eruditur [a]. Hic est ille tinnitus [b] sive secretum susurrium [c], quando, secundum Iob [1], in visione nocturna [d] irruit sopor super homines et dormiunt in lectulo; tunc eos erudit disciplina et aperit aures virorum.

Audiamus velationem. In Exodo legitur [2]: *Expandentes alas Cherubim tegebant propitiatorium,* locum illum scilicet in quo se Dominus ostendebat propitium. Haec est illa quarta species, quae dicitur *mentis defectio.* Quod enim tegitur, occultatur. Quantum enim mens in contemplatione proficiat, cum divinae pietatis immensitatem comprehendere vel perscrutari non sufficiat, necesse est quod ibi deficiat.

Tertius est ordo beatissimorum Thronorum, qui pace fruuntur stabili, circa [e] Deum altissimum inconcusse et firmiter collocati. Nomen etenim sessionis, quod litteraliter thronum dicimus, insigne est pacis. Sedent enim iudices in thronis

---

[a] E *dividitur.* [b] A *tremitur,* E *tremor.* [c] E *secretus susurrus.* [d] A rep. *quando.* [e] E *inter.*

---

[1] Cap. 4, 13-15. [2] Cap. 25, 20.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

et sedilibus [a] suis, ut eorum sessio serenitatem indicet pacis, ne moveantur ex ira vel odio vel ex impetu propriae voluntatis; ideo de [b] mundum iudicaturis scriptum est: *Sedebitis, iudicantes duodecim tribus Israel* [1]. Sedent enim homines dum in suis affectionibus [c] conquiescunt, dum, soliditate [d] animae discursibus variis agitatae [e], cordis sui serenitatem, caritate succensi, ad Deum vertunt [f]. Regum vero sedilia dicimus thronos, quos videmus ceteris eminentius elevatos. Sic decoris ornatu legimus istos spiritus aliis praeeminere, in quibus speciali quodam munere dignationis admirabilis divina Maiestas [g] elegit pacifice residere. Hos spiritus tamquam sedem propriam principalius per suam illustrat praesentiam.

Unde [h] tamquam de solemni auditorio docet hominem et angelum scientiam. Sedet enim super Thronos *qui iudicat iustitiam* [2], *de cuius vultu prodit iudicium* [3], cum tranquillitate iudicans [i] praeter errorem et turbationem et odium et aliquem malignitatis affectum. Hos enim

---

[a] A *sedibus.* [b] E *immo ad.* [c] A *actionibus.* [d] A *soliditatis.* [e] A om. [f] A *convertunt.* [g] P *maiestatis.* [h] A *inde.* [i] A *iudicando.*

---

[1] Matth. 19, 28. [2] Ps. 9, 5. [3] Ps. 16, 2.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Thronos beatus Dionysius[1] nominat « altas sedes », propter dignitatis auctoritatem, « compactas », propter veritatis soliditatem ; « familiariter deiferas », id est Illum ferentes qui iudicat per tranquillitatem, « collocatas » per immutabilitatem.

Sed vae nobis, qui non conformamur iis angelis, sed in nostris fallimus aut fallimur iudiciis! Non sunt informata nostra iudicia, quia non habent auctoritatem. Sicut [a] enim febricitans iudicare non potest de salubritate et suavitate ciborum, sic nec etiam [b] peccator de conversatione sanctorum. Si enim aliquem religiosum lascivum vel lubricum vel male viderimus ordinatum, non in ipsum culpam refundimus, sed totum collegium nostris infestamus detractionibus; videmus in sepibus ariditatem spinarum et in horto vel arca clausa non credimus ubertatem [c] fructuum [d] esse. Non habent etiam [e] iudicia nostra serenitatem, quia quandoque ex pertubatione [f] rationis surgit [g] iudicium temerariae suspicionis, et cum deberent praecedere caritativae admonitiones, fiunt pu-

[a] E *sic.* [b] E om. [c] E om. [d] E *fructum.* [e] E om. [f] E add. *iudicii.* [g] E *exsurgit.*

[1] *De cael. hierar.*, c. 7 (PL 122, 1050).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

blicae diffamationes. Non habent etiam immutabilitatem, quia frequenter movemur ex odio vel amore; et sic in nostris iudiciis delinquimus, qui ordinem caelestium iudiciorum nescimus.

Et quantum ex verbis [a] beati Dionysii possum intelligere, ordo iste est inflexibilis a iudicii veritate aut personarum acceptione aut remissa compassione aut aliquo impulsivo interiori vel exteriori, quae possunt [b] iudicii rectitudinem violare, incorporaliter [c] et immaterialiter se sursum ferens, et divino iudicio nitens se in omnibus et per omnia conformare. Et dum ii spiritus Deo in rectitudinem iudicii conformantur, ipsi in veritatis plenitudine [d] confirmantur. Ergo nec declinant [e] a rectitudine iudicii propter causam exterius impulsivam, quod dicimus personarum acceptionem, nec [f] propter causam [g] interius defectivam, quod dicimus propriae pusillanimitatis remissionem. Ii [h] ergo repleti iudicii lumine, deferunt [i] ad subiectos [k] actum divinae sententiae [l] qui non solum suscipiunt eis infusos radios

---

[a] PE *libris.* [b] Ita P corr.; A *quod possit,* E *quod potest.* [c] E *incorrigibiliter.* [d] PE *plenitudinem.* [e] E *delinat.* [f] A *neque.* [g] A add. *coercetur.* [h] E *si.* [i] E *defecerunt.* [k] PE *scientiae.* [l] E *subditos.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

luminis iusti iudicii, sed ut eos suscipiant, aperiunt et dilatant se vehementi expansione ferventis desiderii, ut ex donis susceptis Domino famulentur in executione sui ministerii: dico autem eorum ministerium, iustum et rectum iudicium. Ergo sicut in eorum conversione primaria, reiectis inferioribus et creaturis omnibus, ii beati spiritus, mentis simplificantes oculum, primum ad se lumen pro [a] viribus converterunt [b], et in ipsius condelectati iustitia, iudicem [c] rectum in suis iudiciis intelligibiliter laudaverunt, unde et radium luminis iusti iudicii receperunt et in rectitudine iudicii confirmati sunt, sic omnis qui iudicat, necesse est, ut in omni iudicio ad verum iudicem se convertat, quem semper prae oculis habeat: alioquin dimissa regula qua simpliciter dirigatur, faciliter errabit in iudiciis et falletur. Unde frequenter falluntur iudices qui propriae prudentiae innituntur Sic igitur ex inspecto similiter et suscepto divino radio ducit originem omnis iudicii rectitudo. Nam sicut color oculum non immutat nisi suscepto solari lumine, sic creatura vere non iudicat nisi suscepto radio iudicationis divinae, vel

---

[a] A *se ad primum lumen.* [a] A *convertunt.* [c] A corr. marg. pro *iudicabat.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

immediate, sicut in Thronis, qui sine medio divini luminis essentiam contemplantur, vel mediate, sicut in nobis, ad quos mediantibus angelorum ministeriis, recti iudicii sententiae divinitus deferuntur.

Caput IX.

De secunda et tertia hierarchia.

Secunda hierarchia tres continet ordines beatorum [a] spirituum. Secundum autem ordinationem beati [b] Bernardi [1], in hac hierarchia spiritus, qui dicuntur Dominationes, sunt in ordine superiori, Principatus in medio, Potestates in inferiori.

Sunt autem Dominationes spiritus, qui considerantes secundum dominium Christi cursus temporum, motus corporum, nutus mentium, sufficienter et imperturbabiliter regi, in illud divinitatis pelagus rapti, se recipiunt in quodam

[a] E *bonorum*. [b] PE om.

[1] *De consideratione*, V, c. 4, n. 8. (PL 182, 792) cf. S. Bonav. loc. cit., 240-241.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tranquillitatis secessu, ubi tanta pace et securitate [a] fruuntur, ut pro reverentiae praerogativa militet eis ut Dominationibus cetera spiritum multitudo.

Iste ordo secundum beatum Dionysium [1] praesidet, non secundum propriam necessitatem. Habet aspectum ad aeternitatem, habet liberalitatem, habet severitatem [b]. Huic ordini conformantur praelati per usum debitum dominandi, si non quaerunt in suis praelationibus simplicem suam necessitatem, sed subditorum utilitatem, si non habent oculum fixum ad temporalitatem, sed aeternitatem, si habent severitatem [c] in potestate, si liberalitatem in benignitate.

Secundus est ordo Principatuum. Spiritus sunt qui considerantes super se unum principium omnium, principatus eius [d] accipiunt participium. Ad hos pertinet, secundum beatum Bernardum [2], mutare regna, de sede potentes deponere; secundum Gregorium [3], docere subditos reverentiam ad praelatos; secundum Dionysium [4] subditis ordini-

[a] E *tranquillitate.* [b] E *securitatem.* [c] E *securitatem.* [d] E om.

[1] *De cael. hierar.*, c. 8 (PL 122, 1053). [2] L. c. [3] *In Evangelia*, hom. 34, n. 10 (PL 76, 1251), ad sensum. [4] L. c.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

bus agenda disponunt et eos in Deum [a] reducunt. In quo docentur subditi quod aliquando pro causis necessariis mali praelati sunt deponendi, et tamen, quamdiu praesunt, sunt reverendi et eorum praecepta, quae secundum Deum fuerunt [b], sunt facienda, et in Deum, quae eis facimus, retorquenda.

Tertius est ordo Potestatum, spirituum scilicet qui arcent contrarias potestates, per quos earum impetus coercetur [c]. Gratias tibi, Domine Iesu, qui tyrannidem daemonum sic coerces ut potestate tua praevia, nobis non praevaleant contrariae potestates. Eis enim Dominus terminum statuit, ultra quem eos in nos praeterire non sinit; secundo, quia suggestiones eorum in bonum nostrum convertit; tertio, contra ipsos nobis custodiam angelorum tribuit, quae nos protegit et defendit; quarto, quia nobis dedit liberum arbitrium quod [d] eisdem necessario non consentit, immo pro libertate resistit.

Tertia hierarchia tres continet ordines, secundum Gregorium [1]: Virtutes, Archangelos, Angelos, hos in superiori, hos in media, hos in inferiori serie constitutos.

[a] E *Dominum*. [b] E *dominum fiunt*. [c] A corr. marg. pro *exercetur*. [d] E om.

[1] L. c., n. 7, ibid. 1249.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Virtutes autem sunt spiritus, qui a virilitate nominis vocabulum acceperunt. Excellentia enim fortitudinis fortes sunt, secundum Gregorium [1]; fortes in operatione miraculorum, secundum Bernardum [a] [2]; in investigatione secretorum, secundum magistrum Hugonem de Sancto Victore [3]; immo, secundum beatum Dionysium [4], fortes in perceptione [b] donorum [c] et distributione perceptorum [d], propter quam virilitatem in miraculis faciendis dicitur [e] quod in fine mundi *virtutes caelorum movebuntur* [5], quia ministerio istorum spirituum exercebuntur mirabilia in elementis. His spiritibus conformamur, cum viriles sumus ad impugnationem vitiorum, subtiles in cognitione divinorum, familiares in susceptione donorum, fideles in distributione perceptorum.

Secundus ordo est Archangelorum, inter quos Michael obtinet principatum, cuius officium est conservare populum christianum in fide, roborare

---

[a] E *beatum*. [b] E *praeceptione*. [c] E *bonorum*. [d] E *praeceptorum*. [e] E *dicuntur*.

---

[1] L. c., n. 10, ibid. 1251. [2] L. c., c. 5, n. 11, ibid. 794-795. [3] *Exposit. in hierarch. caelest. Dionysii*, c. 8 (PL 175, 1076-1077). [4] L. c. c. 8, ibid. 1054. [5] Matth. 24, 29.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

in tribulatione, impetrare pro eo in tentatione [a], praesentare Deo animas in glorificatione. Inde est quod introducitur in Sacra [b] Scriptura Michael in officio quadruplici, per quod possunt praecedentia comprobari. Loquens enim Iudas de diabolo et corpore Moysi, scribit in sua Canonica [1] mutuam altercationem. Volebat enim diabolus ut sciretur sepultura Moysi ut [c] adoraretur, et sic exsufflaret cultum divinum et catholicam fidem; quod impeditum est per Archangelum Michaelem. Testatur etiam [d] Daniel, quia *consurget Michael, princeps magnus, qui stat pro filiis Dei, et veniet tempus, quale non fuit ab eo ex quo gentes esse coeperunt* [2]. In illa tribulatione ultima, quae erit maxima quantum ad violentiam tyrannorum, astutiam haereticorum, fallaciam hypocritarum, dicitur Michael pro electis consurgere ne deficiant in tribulatione. Dicit etiam [e] Daniel alibi quod [f] *Michael, unus de primis principibus, venit in adiutorium populo Dei* [3]. Modo enim factus est principalis [g] ange-

[a] E *quin in tentatione succumbat* pro *p. e. i. t.* [b] E *sancta.* [c] PE *et.* [d] E *et.* [e] E *et.* [f] PE *quia.* [g] E *principaliter.*

[1] Vers. 9-11. [2] Cap. 10, 13. [3] Cap. 12, 1.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

lus Christianorum, qui solebat esse antiquitus Iudaeorum. Legitur etiam [a] in Apocalypsi [1] praelium cum dracone commisisse et ipsum draconem cum suo exercitu devicisse et obtinuisse locum eorum; et sic per eum repraesentantur Deo animae sanctorum. Nam signifer Michael eas repraesentat ante Dei conspectum.

Tertius est ordo Angelorum. Spiritus sunt qui ad nos mittuntur frequentius ad divina beneplacita nuntiandum. Nam graece angeli dicuntur, latine nuntii. Nuntiant enim nobis divinam potentiam in conversione peccatorum, sapientiam in revelatione secretorum, misericordiam in glorificatione beatorum, iustitiam in condemnatione reproborum. De iis plenae sunt Scripturae, ita ut non egeamus hoc testimoniis approbare; sed conformemur angelis, ut timeamus supplicia, corrigamus peccata vel vitia, veneremur mysteria, suspiremus ad caelestia.

---

[a] E *et*.

---

[1] Cap. 12, 7.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput X.

Quomodo conformamur angelis in suis officiis et in aemulatione pacis.

Ierusalem, civitas Dei, laetaberis in filiis tuis, quoniam benedicentur omnes et congregabuntur ad Dominum; et beati qui gaudent super pace tua [1]. Vere pax in civitate caelesti Ierusalem, ubi munditia, concordia, reverentia! Sunt enim cives civitatis illius misericordes [a] in se, concordes inter se, reverentes ad Deum, qui praeest super se; civitas, inquam, ubi est ex parte loci claritas sine occasu, ex parte edulii sive cibi copiositas sine defectu, ex parte consortii iucunditas sine fletu, ex parte adversarii securitas sine metu.

Laetaberis, inquit, *in filiis tuis.* Habes enim filios exultantes in caelis et filios peregrinantes in terris, qui tua clementia tandem aliquando collocabuntur inter angelorum ordines, quoniam *in domo Patris caelestis multae sunt mansiones* [2].

[a] P *mundi cordes;* E *mundis cordis.*

[1] Tob. 13, 11; 17, 18. [2] Ioan. 14, 2

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Ad angelorum enim beatorum consortium, sanctorum animae transeunt, cum ab [a] hac lacrimarum valle post mortem recedunt, id est [b] novem angelorum ordines, quasi vicorum vel domorum diversitates, diversae sunt mansiones. Qui minima praedicando nuntiant, sunt Angeli; qui maiora, Archangeli; qui vero miracula faciunt et in corporibus suis eminentiam virtutis ostendunt, inter Virtutes, angelicos [c] scilicet spiritus, sedem habere meruerunt; qui vero de obsessis corporibus expellunt daemones, mansionem [d] accipiunt inter caelicas Potestates; qui vero principantur electis fratribus, sedem accipiunt in Principatibus [e]; qui vero in se ipsis cunctis vitiis et illicitis desideriis dominantur, ipsa puritate munditiae dii inter homines appellantur [f], in numero [g] Dominationum habitaculum sortiuntur; qui vero se sollicite discutiunt et divino timori semper incumbunt, hoc [h] accipientes ex munere quod se ipsos recte valeant et alios iudicare, ad Thronorum conformitatem [i] videntur accedere; qui vero divina fide et cognitione pleni sunt, si tamen caritati inserviant, dici Cherubim meruerunt, inter eos hospitium

[a] E *in.* [b] A *ibi.* [c] E *angelorum.* [d] A *mansiones.* [e] P *potestatibus.* [f] PA add. *et.* [g] E *mundo.* [h] E *et.* [i] A *confirmitatem.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

merito sortiti sunt: non est horum scientia curiositas, quia *plenitudo legis est caritas* [1]; qui vero facibus supernae contemplationis accensi in solo Conditoris sui desiderio anhelant, terrena renuunt, temporalia cuncta transcendunt, amando ardent, loquendo alios accendunt, et quos verbo tangunt, ardere in amore Dei faciunt, istos inter spiritus Seraphicos merito collocamus. Nam solo Conditoris et aeternitatis amore pascuntur, amant et ardent, et requiscentes in ardore suo quietantur.

Ii [a] sunt, Domine, novem chordae, quae in cithara tua melodiam caelestis continent harmoniae. Nil unquam triste vel lugubre sonuerunt, sed dulce melos in auribus Summi Patris multiformis diversitatis concordia cecinerunt. Sed est chorda decima gravior ceteris, miser homo, qui concordare desiderat cum angelis; sed concordare cum [b] eisdem non possumus, nisi nos eorum offensionem et scandalum evitemus, quare [c] debemus in iis officiis maxime exerceri, in quibus scimus illas creaturas purissimas delectari, quae, licet sobrietatem, castitatem, voluntariam paupertatem in nobis desiderent, quia tamen *angeli*

[a] E *hae.* [b] A om. [c] PE *quia.*

[1] Rom. 13, 10.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

pacis [1] in Scriptura dicuntur, maxime a nobis exigunt unitatem et pacem. Nam civitatis suae formam repraesentari sibi videntur in nobis, cum Ierusalem novam mirantur in terris, ut nos ad invicem sentiamus in unum et non sint in nobis *schismata* [2] divisionum, sicut civitatis illius, *Ierusalem, participatio est in idipsum* [3]. Si enim sit inter nos zelus et contentio, vere carnales sumus et secundum carnem, non secundum spiritum ambulamus [4]; et sic erimus animales, nosmetipsos ab aliis segregantes et Spiritum non habentes. Perdidisti profecto Spiritum vitae, quicumque te dividis ab unitate et pace. Non enim spiritus vitae mortalis [a] vel motus [b] vitalis influentiam in membra habent, quae corpori non cohaerent: *Caritas enim diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* [5]. Certum est ergo quod si nobis caritas infunditur, pax et unitas non scindetur nec in nobis manifestationes aut dulces experientias sentiemus, quas per angelica ministeria praelibamus.

---

[a] E *mortaliter*. [b] PAE *mortis*.

---

[1] Isai. 33, 7. [2] I Cor. 1, 10. [3] Ps. 121, 3. [4] Rom. 8, 4. [5] Rom. 5, 5.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Hae sunt theophaniae, quas in Canticis possumus *murenulas* [1] appellare. Habent enim angeli sua signa et demonstrationes, per quas de invisibilibus Dei et valde occultis et secretis et absconditis, intus immaterialiter et invisibiliter edocentur. Unde quae superveniunt mentibus sic divinitus illuminatis, theophaniae, id est apparitiones [a] vocantur, quia in eis ad manifestationem venientibus, id quod omnino [b] Dei occultum est demonstratur et nobis secundum capacitatem nostram et divinum beneplacitum ministrantur. Inde nascuntur, inde [c] procedunt illae affectiones dulcissimae, quas in oratione sancti et experiuntur et sentiunt. Cum enim oratio succensa non fuerit [d], sed expressa de corde frigido, subito [e] elabitur, nec in ea angeli delectantur; cum vero mens fit ferventior et in fervore intensior, multum habet acuminis, pleno fertur affectu. Vocem eripit, voce non utitur, nec verbis, quia verba frequenter, quibus utimur in orationis inchoatione, sunt impedimenta frequentius in devotione; sed amor divinus, quem in cordibus nostri aspiciunt

---

[a] P *aperitiones.* [b] A om. [c] E *et.* [d] E *fuit.* [e] A om.

---

[1] Cant. 1, 10.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

angeli, reddit eos alacres et gaudentes ad nostram exauditionem implendam et devotionis dulcedinem sentiendam. Et bene *murenulas* haec diximus appellari, quae nobis exhibentur angelico ministerio: *Murenulas,* inquit, *faciemus* [a] *tibi vermiculatas argento* [1]. Murenulae sunt ornamenta colli virginalis, catenulae scilicet auro contextae, et interdum etiam additis argenti virgulis variatae [b]; et trahit hoc nomen a murena, pisce simili anguillae, habente in singulis lateribus singulos ordines velut oculorum, sed de iis [c] non videt, et in gyrum se vertit, quasi formata in circulum.

Nomine igitur murenularum contemplationes et quasi circulares convolutationes circa Deum [d] intelligimus, quia principio et fine caret circulus; et hoc murenae significat flexuositas circularis. Duplex autem oculositas hoc significat, quod ad comprehendendum divina secreta penitus caecatur [e] duplex oculus noster et etiam [f] angelorum, oculus, dico, intelligentiae et rationis. Animae igitur devotae et ad caelestia contemplanda suspensae non cessant paranymphi, scilicet angeli

---

[a] S *facientes.* [b] E *variae.* [c] E *hos.* [d] E *interdum.* [e] E *faecatur.* [f] E *est.*

---

[1] L. c.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

quantum ad eorum pertinet officium, illuminando, revelando, hortando, ministrare; hoc ornamentum angelorum manibus fabricatur, cum divinitus aliquid [a] mentibus nostris inducitur. Unde alia translatio dicit: *Similitudines aurifabri faciemus tibi cum distinctionibus argenti,* quoadusque *rex in accubitu suo est* [1] [b], quod est: dum interim gloriam divinam videre non possumus, velut in speculo, Scripturae similitudines per angelicum ministerium exhibentur.

Caput XI.

Quod pax angelica nostrae pacis est instructiva.

Iam igitur exemplum habemus ab angelis servare [c] *unitatem spiritus in vinculo pacis* [2]. Videamus ergo quomodo se extendit eorum caritas, ut pax salvetur et unitas.

In illis enim beatis spiritibus et Deo proximis, quasi e vicino [d] ardentibus et ferventibus, amplius

[a] E *aliud.* [b] E om. [c] E *sonare.* [d] PE *quia enitendo.*

[1] Cant. 1, 11. [2] Ephes. 4, 3.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

ignis dilectionis ad superiora ducitur per dilectionem Dei, et ad inferiora per participium boni sui, utpote bonum suum sitientes et consortes, secum colligere volentes. Diligentes ergo diligendi formam subiectis tribuunt et ardentes in se alios flamma dilectionis accendunt. Propter hoc [a] angelorum dilectio nostri est amoris et pacis instructio. Nam in eis legimus triplicem vim amoris: supra [b] ipsos moventur per desiderium; in ipsis per sensum [c]; sub ipsis etiam [d] per affectum; supra [e] ipsos in eo quod appetunt; in ipsis in eo quod sentiunt; sub ipsis, quia ad id quod sentiunt et ad id quod appetunt, subditos secum attrahunt. Et haec omnia in una dilectione sunt, et una dilectio sunt, quae desuper eis datur et per eos seriatim ad subditos derivatur ut omnia concorditer uniantur.

Hanc etiam unitionem [f], animae Beatorum [g] desiderant, quae sub altari divino constitutae in nostro desiderio clamant. Unde in Apocalypsi [1] legitur: *Vidi subtus altare animas interfectorum*

---

[a] E *propterea*. [b] E *super*. [c] E *subiectum*. [d] E *et*. [e] E *super*. [f] E *unionem*. [g] E *bonorum*.

---

[1] Cap. 6, 9-12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

et clamabant voce magna: Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum? Et datae sunt eis singulae stolae albae et dictum est eis: Sustinete tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum. Iam enim perfruuntur requie, sed non plena consummatione. Iam animae convertuntur [a] in suam requiem, evaserunt mortem corpoream [b], abiecerunt molem; *laqueus contritus est* [1] et suam assecutae sunt liberationem. Dum enim in corpore mortis huius Domino militarent, nulla erat requies. Hinc tumultus tentationum, hinc labor certaminum, hinc finis incertitudo; nulla securitas, ubique periculum, sed quandoque [c] de praemitiis spiritus praelibabant ut eorum pusillanimitatem et infirmitatem [d] levius tolerarent. Iam ergo [e] consummata pugna et adepta stola, gaudent in suo spiritu, gaudium praestolantes etiam [f] in corpore suo. Considerant pericula quae evaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quae vicerunt, *praestolantur adventum gloriae et magni Dei* [2], ut eorum reformet corpora configurata dominici corporis claritati [3]. Et interim

[a] E *cum vertentur.* [b] A corr. marg. pro *corporatam.* [c] E *quoniam.* [d] E *firmitatem.* [e] A *igitur.* [f] E *et.*

[1] Ps. 123, 7. [2] Tit. 2, 13. [3] Philipp. 3, 21.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

praestolantes nos desiderant, quoniam secundum verbum Davidicum: *Me expectant iusti* [1], et corporum suorum resurrectionem [a] efflagitant.

Sed datum est eis divinum responsum: *Sustinete modicum, donec impleatur numerus fratrum* [2]. Singulas acceperunt stolas, sed non vestientur duplicibus, donec et nos cum eis in illis solemnibus nuptiis vestiamur, *Deo melius aliquid providente pro nobis ut non sine nobis consummarentur* [3]. Viget autem in eis adhuc naturale desiderium, ut necdum tota eorum affectio libere pergat in Deum. Inclinantur [b] ad nos desiderio nostri, inclinantur ad corpora propria desiderio sui. Cum enim sua corpora recipere sperent et desiderent, aliquid [c] habent de proprio, quare [d] nondum in Deum [e] tota eorum [f] transit intentio vel affectio; ergo reflectuntur naturaliter ad sua corpora, donec *absorpta sit mors in victoria* [4]. Ligatae sunt adhuc [g] animae beatae suis corporibus, non motu vel sensu, sed naturalibus quibusdam affectibus: *Corpora sanctorum in pace*

---

[a] E *reditum.* [b] E *inclinatur.* [c] E *aliqui.* [d] A *quia.* [e] E *Domino.* [f] A om. [g] E *ad hoc.*

---

[1] Ps. 141, 10. [2] Apoc. 6, 11. [3] Hebr. 11, 40. [4] I Cor. 15, 54.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sepulta sunt [1], et usque in hanc [a] diem nobiscum in [b] peregrinatione remanent, sed animae stolis singulis indutae perseverant in requie: *Visi enim sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace* [2]. In pace vixerunt, pacem et requiem invenerunt, pacis consummationem certitudinaliter obtinebunt quando [c] voluptate divini torrentis inebriabuntur [d] [3], et in Deum liberrime transeuntes, penitus a seipsis immutabuntur. Liquescet in eis humana prorsus affectio, cum perfecta fuerit in eis beatitudinis suae consummatio. Et secundum sancti Bernardi [e] sententiam [4] necesse tunc erit quodam ineffabili modo in sanctis humanam affectionem a semetipsa liquescere et in Dei transfundi penitus voluntatem; alioquin quomodo *omnia* [f] *in omnibus Deus erit* [5], si in homine quidquam de homine supererit? Manebit quidem substantia, sed in [g] alia forma, alia gloria, aliaque potentia.

---

[a] E *hunc.* [b] E om. *n. i.* [c] E *quoniam.* [d] E *inebriantur.* [e] A om. [f] E *omnis.* [g] A *tamen* pro *s. i.*

---

[1] Eccli. 44, 14. [2] Sap. 3, 3. [3] Cf. Ps. 35, 8. [4] *De diligendo Deo,* c. 9, n. 28 (PL 182, 991). [5] I Cor. 15, 28.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput XII.

Quod motus angelorum non repugnat paci et quieti ipsorum.

Sed iam praedictis occurrit obiectio circa hoc quod dictum est de angelico ministerio. Si enim pax esse nequeat ubi non est quies, motus autem et quies sibi obviant [a], pax non erit ubi quies non fuerit. Sed angelos moveri legimus. Triplicem enim motum in eis assignat beatus Dionysius. Idem etiam [b] in alio loco dicit eos esse in medio et in circuitu et [c] circa thronum [1]; et de [d] Seraphim idem dicit [2]: « Mobile quidem eorum circa divina calidum et acutum, et superfervidum » et cetera quae sequuntur; non ergo pax in angelis nec requies, quia moventur.

Sed advertendum est quod alius est in angelis motus localis, quem disputationi relinquimus,

---

[a] E *opponantur*. [b] E *et*. [c] A om. [d] E *ad*.

---

[1] *De cael. hierar.* c. 7 (PL 122, 1052). [2] Ibid., 1050. Cf. Hugo de S. Victore, *Exposit. in caelest. hier.*, VII (PL 175, 1037).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

alius affectionalis motus, de quo ad praesens prosequimur. Ille enim distinguitur corporalis mensurae spatio, ille autem [a] divini amoris speciali [b] privilegio et ferventi desiderio. Triplicem igitur in angelis deprehendimus motum secundum differentiam spiritualium affectionum: circularem, rectum et obliquum.

Circularis est quando sursum in Deum extenduntur [c] angeli et uniuntur superintellectuali pulcritudini, quae quidem est sine initiali principio et sine finali termino, sicut apparet in circulo. Sicut enim, ut dictum est, magnes vel adamas attrahit ferrum occulta quadam virtute, quae est inter adamentem et ferrum, sic illa pulcritudo infinita omnem in se trahit intellectum et reddit pacificum et quietum [d].

Rectus autem motus est in angelis, in quantum superiores procedunt ad inferiorum providentiam [e], ipsos rectificantes, et per medios recte ad infimos traseuntes, convertentes eosdem in Deum. Rectum enim dicitur, cum ab eodem in idem reditur.

---

[a] A *etiam;* E *scilicet* pro *i. a.* [b] E *spirituali.* [c] P corr. *cursum i. d. extendunt;* E *cursum i. dominum extendunt.* [d] E *quietem.* [e] E *infirmorum promerentiam.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Obliquus vero motus est quando agunt providentiam subditorum, et nihilominus inegressibiliter in se manentes, in se ipsis laudant uniformiter summum bonum; in quo docemur sic exterorum gerere curam, ut tamen ad nostram revertamur conscientiam.

Quid [a] autem circa thronum, et in medio throni beatos [b] spiritus legimus [1]? In medio sunt, quia Mediatoris secreta penetrant, et tamen in circuitu, quia moventur incessabiliter et calescunt, et tamen penitus introrsus non intrant.

Ex iis enim quae Dei sunt et de Deo sunt, aliquid est manifestum et aliquid occultum. Sunt enim quaedam divina ad manifestationem proposita, quae secundum aliquid penetrari possunt et apprehendi, quaedam vero tam profunda sunt et intima, quae nullus intellectus aut sapientia [c] potest omnino scrutari. Et tamen magnum est valde quando datur intellectui ad illa posse contingere, licet non [d] detur illa per sapientiam penetrare. Quod ergo foris est pervenienti intelligentiae ad cognitionem ostenditur et id quod

[a] E *quos.* [b] E *bonos.* [c] A add. *ea.* [d] P **poni**t *non* in parenthesi tum in texu tum in margine.

[1] Cf. Apoc. 5, 6, 11; 7, 11, 15 etc.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

semper [a] intus est ad comprehensionem non aperitur [b]. Ambiunt autem [c] desiderio quod intellectu non penetrant, et tamen summi angeli immediate appropinquant et omne quod in Deo noscibile est, per contemplationem et dilectionem lustrant. Ceterum in eo quod diximus de semper mobili calido et acuto et [d] superfervido, deficit intellectus meus, nec nisi tenuiter [e] et balbutiens explicat sermo.

Docet ergo beatus Dionysius, sub metaphora ignis proprietates competentes spiritibus seraphicis. Sed hae et aliae supernarum Virtutum [f] proprietates mortalibus videntur esse [g] inexplicabiles et ad illa verba pertinere penitus, quae audivit in suo raptu Apostolus [1], quae videtur Apostolus docuisse discipulum suum Dionysium singulari dilectione, et per eum ad Ecclesiam pervenisse; quae [h] etsi non licet [i] homini loqui, tamen ea loquitur Apostolus Dionysio, non ut homini, sed ut specialissimo [k] discipulo et sibi

---

[a] E om. [b] Ita A, P corr. per exp.; E *aperietur*. [c] E *abeunt a.* [d] E om. [e] A corr. marg. pro *tenuerit.* [f] PE om. [g] PE add. *et.* [h] E *quia.* [i] PE *liceret;* E add. *ea.* [k] AE *spiritualissimo.*

---

[1] II. Cor. 12, 2.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

concordato [a] et glutino praecipuae dilectionis unito, quasi [b] civium supernorum concivi. Beatus vero Dionysius pandit ea non communiter omnibus, sed purae intelligentiae praeditis et divinis illuminationibus et gratia privilegiatis et velut supra hominem elevatis. Ait ergo [1]: « Semper mobile ipsorum circa divina et incessabile calidum et acutum, et superfervidum, attentae et irremissibilis et indeclinabilis semper motionis ». Per ignis enim proprietatem docet ipsorum Seraphim dignitates, hoc est sempiternam mobilitatem circa divina, hoc est [in] scrutandis divinis mysteriis, quae quantumlibet [c] ab eis penetrentur, sicut dictum est, ab incomparabiliter [d] vero profundioribus excluduntur, Et ne credamus quod in hoc motu circa divina sit inquietudo vel poenalitas, ipsa est in veram et aeternam requiem magna quies et stabilitas; et hoc ex proprietate ignis, cui [e] natura semper est mobilis et post flamen vel ardoris eruptionem velut in lucis serenitate quiescit [f]. Est etiam [g] incessabilitas in eis, quia

[a] A *concorporato*, E *concordiae*. [b] E *vincto quia*. [c] E *quomodolibet*. [d] Ita P corr., E; A *incorporabiliter*. [e] E *cuius*. [f] PE om. *et post... quiescit*. [g] E *et*.

[1] *De cael. hierar.*, c. 7 (PL 122, 1050).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sunt in continuis amoris exercitiis. Ignis enim nunquam dicit [a]: *Sufficit* [1], nec moveri desinit. Caliditas autem fervorem designat mutuae caritatis, qua [b] se et [c] alias mentes diligunt in sobrietate mentis. Calidus enim est ignis et [d] est etiam acumen eorum in penetrandis mysteriis, quoniam acute pergens est ignis. Superfervidum autem intelligimus in eorum superexcessivis contemplationibus et extaticis theoriis; hoc est « mobile, incessabile, calidum et acutum et [e] superfervidum et bene [f] superfervidum ». Mentes enim sic in Deum [g] quasi ebulliunt, ut aqua fortiter calefacta per virtutem ignis super se saltat: ignis enim universa superat. Illarum vero substantiarum [h] motus in Deum attentus est per continuam et vigentissimam [i] extensionem; irremissibilis est [k] quia fervor eorum non habet diminutionem; indeclinabilis [l] est, quia in aliud desiderabile non habet eorum desiderium inclinationem.

---

[a] *E dici.* [b] E *quia.* [c] E om. [d] E om. [e] PE om. [f] A om. *e. b. s;* E *mobile.* [g] E *Dominum.* [h] E *subitarum.* [i] E *ingentissimam.* [k] E *irremissibilem.* [l] E *indeclinabiliter.*

---

[1] Cf. Prov. 30, 15.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Vae cordi frigido vel tepido quod hoc igne caritatis non afficitur, quem tamen Dominus misit in terram, et voluit ut vehementer accenderetur [1], qui tam mobilis est circa divina, ut sic manifestetur in homine gratia et vita! Scimus enim quoniam amor vita est, quoniam *qui non diligit, manet in morte* [2], quia sine motu dilectionis iacet anima quasi [a] corpus exanime, et si [b] *caritas nunquam excidit* [3], dilectio vitam aeternam ostendit. Est et in dilectione calidum, per quod excitatur mens torpida et tepida in amorem [c] igneum et cor hebes et pigrum ad diligendum; ibi [d] acutum reperis [e], quando quod desideras penetras et apprehendis, donec ad dilectivum eius, immo potius in dilectum vadis. Alioquin adhuc [f] foris amas nec acutum habes dilectionis, si non in dilectum vadis. Amor enim cum ipso dilecto facere te vult unum, et ideo penetrat omnia et appropinquat quantum potest ad unum [g] ipsum. Est et in dilectione superfervidum, affectus scilicet bulliens et in se ipso stare non

[a] E *quia*. [b] E om. [c] A corr. marg. pro *maiorem*. [d] P *et*, E *etiam*. [e] E *reperies*. [f] E *ad hoc*. [g] E om.

[1] Cf. Luc. 12, 49. [2] I Ioan. 3, 14. [3] Cor. 13, 8.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

valens. Acutum[a] enim est amoris, cum omnia transeundo despicit; superfervidum autem[b], cum semetipsum [c] contemnendo relinquit. Fit ergo miro modo superfervida verae dilectionis affectio, ut, dum per amoris ignem mens in illum sustollitur et elevatur qui est supra se, per vim amoris expelli incipiat et [d] exire a se. Quomodo ergo bullit, quomodo [e] fervet corde, qui per conceptum superni amoris ignem, dum in illum solum qui sursum est appetendus [f], cognitione[g] et desiderio fertur, extra semetipsum proiicitur et supra [h] se elevatur, nec se cogitat, dum illum solum amat. Sic enim videmus in rebus materialibus, quomodo calor ignis sine tumultu ad humorem ingreditur, ut ingressus illum potenter et violenter eiiciat, et fervente intrinsecus caloris incendio, quod fervet iactatur extra se et tollitur supra se, quod mirabiliter operatur fortis ignis violentia, quae latet interius nec videtur.

Sed ecce dum caelestium civium officia tetigimus [i], aliquantulum digressi sumus. Taceamus interim de secretis caelestibus, gemitis et orationibus incumbamus, ut ad eorum consortium, de

[a] E rep. [b] E *est.* [c] E *semel ipsum.* [d] PA *etiam.* [e] E *quando.* [f] A *appetendum.* [g] A *cogitatione.* [h] E *super.* [i] A corr. marg. pro *tegimus.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

quorum pace et officiis balbutire coepimus, pervenire [a] per ipsorum suffragia valeamus [1].

Caput XIII.

De pace mundana in genere.

Verba sunt Apostoli ad Colossenses [2]: *Super omnia habete caritatem, quod est vinculum perfectionis, et pax Christi exultet in cordibus vestris.* Tetigimus pacem angelicam et divinam: nunc procedamus ad mundanam, quae, licet caritatem in se non habeat [b], tamen cuiusdam perfectionis vinculo pacis effigiem in creaturis sensibilibus representat; ex qua si ad veram pacem fuerimus manuducti, *exultabit in cordibus nostris pax Christi* [3]. Videamus igitur in caelo sursum et in terra deorsum, et reperiemus leges foederatissimas omnium creaturarum.

---

[a] E *praevenire.* [b] A *contineat.*

---

[1] Cf. Gregor. M. *In Evang., II,* hom. 34, n. 15 (PL 76, 1255). [2] Cap. 3, 14-15. [3] L. c.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Terra enim et mare et mundus iste cum omnibus elementis [a], per quae virtus Dei magnifica praedicatur, dum in pace fuerint [b] et quiete, nullatenus dissolventur [c]. Sed postquam [d] a pace destiterint [e] et quiete, postquam inter se coeperint dissidere, ea terminari protinus est necesse. Et ideo liti finem Deus imponit [f] pro eius beneplacita voluntate.

Intueamur, si placet, in istis pacis ordinem, et videbimus qualiter omnia servant pacem. Sol enim et [g] luna et stellae, quae sunt ornamenta caelorum, suum custodiunt ordinem et immobiliter cursum suum. Sol aëri praestat lucem, terrae calorem; aer imbribus terram fovet et animantibus cunctis vitalem tribuit respirationem. Terra vero, dum viventibus fructus suos exhibet atque victum, quoddam [h] viventibus super eam maternum praebet obsequium. Temporum vero permutationes et vicissitudines sibi ad invicem succedentes [i], per eorum successionem et ordinem utilitatem praebent mortalibus et voluptatem. Mare intra terminos suos cohibetur nec ultra progreditur

---

[a] E *electis.* [b] AE *fuerit.* [c] E *dissolvetur.* [d] E *priusquam.* [e] E *destituetur.* [f] A *imponet.* [g] E om. [h] E add. *que.* [i] E *succendentes,* quod A corr.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

et pacifica terris[a] appulsione coniunctum, praebet usum multiplicem et multis utilitatibus affluentem.

Cum igitur[b] ita se habeant et in unam compagem et concordiam cuncta conveniant, quid aliud ex iis oportet[c] intelligi[d] nisi quod per hoc pax tacite praedicatur animae rationali, quae pacem respicit universi[e], ut saltem anima, quae in se gerit imaginem et similitudinem Dei, gaudeat imitatione divina, nobilitatem ostendat sui generis et de caelestibus et inferioribus creaturis saltem trahat exemplar vivendi?

Enimvero si fiat in mundanis dissensio et dicta compages atque concordia detrimentum aliquod patiatur, ut si sol suae lucis radios subtrahat, cesset caeli circuitus, aut stellarum motus, aër ardoribus excandescat aut ultra mensuram naturalem ignis exaestuet; terra quatiatur, mare fervescat, mutabitur universitatis status, elementorum seditione subversus.

Nonne familiaritates hominum et amicitiarum foedera, nonne coniugii sacramenta, si pax abfuerit, perseverant? Si pax non adfuerit, pereunt et non constant. Ad populum Domini, quem vo-

---

[a] E *pacificatur* pro *p. t.* [b] E add. *haec.* [c] E *omnibus.* [d] E *intelligis.* [e] E *universe.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

camus Israel, descendamus et amissa pace et unanimitatis concordia, quid [a] nunc sustineant videamus. *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena* [1]. Confitere veraciter et agnosce: *Nam si in via Dei ambulasses, habitasses in pace super terram* [b] [2]. Perdidisti propriam, expulsus cum verecundia et cum [c] ignominia multa terram incolis alienam, functionis tributariae sustinens servitutem [3]. Dum enim in pace vixisti, tribulationes aegyptiacas evasisti; habebas magistros tuos et iudices; fundebas ad Dominum mundas preces. Die ac nocte, praecedebat populum ignis et nubes [4], mare solidabatur sub tuis pedibus [5], cedebat fugientibus: caelum ministrabat esurientibus [6], petra sitientibus [7], sola manuum protensio triumphabat de hostibus; tibi mare, tibi fluentia Iordanis praebuerunt obsequium [8]. Vidisti muros hostiles corruere solo clangore tubarum [9]. At vero subintroeunte discordia divisus est populus et in partes sectus, rex non in divino consilio postulatus [d];

[a] E *auod.* [b] E *sempiterna.* [c] E om. [d] E *postulatur.*

[1] Baruch 3, 10. [2] Ibid. 3, 13. [3] Exod. 1, 8 ss.
[4] Exod. 13, 22. [5] Exod. 14, 15 ss. [6] Exod. 16, 1 ss.
[7] Exod. 17, 1 ss. [8] Iosue 3, 1 ss. [9] Iosue 6, 1 ss.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

et quod per factiones confotum [a] fuerat, erumpit in regulam [b]. Ieroboam et Roboam inter se dissidentibus [1], regentibus populum, coeperunt ad invicem puer ad senem, ignobilis ad nobilem commoveri. Traditi sunt Babylonicae captivitati [2]. Tandem liberatus est populus, nec cessavit tamen aut cessit [c] malitia eius. Successit Antiochus, in populum exercens tyrannidem; subvertuntur muri Ierusalem, civitas ipsa cum templo destituitur, sancta sanctorum pollutis pedibus conculcantur, et profanis manibus polluuntur [3]. Trucidantur sine miseratione senes et iuvenes, matres et virgines; manus mulierum matrum [d], sicut Ieremias in spiritu viderat, fructum ventris sui comederunt et proprios coxerunt infantes [4]. Cetera, quis sine fletu referat, saltem naturali compassione compunctus, quid [e] sustinuerunt Tito et Vespasiano regnantibus? Postquam [f] enim *Dominum gloriae crucifixerunt* [5], et de crimine laesae maiestatis convicti sunt, poenas debitas repende-

---

[a] A corr. marg. pro *confortum*. [b] E *regalem*, A *regulum*. [c] E *cessat*. [d] A *misericordium*; E *matres*. [e] E *quod*. [f] F *priusquam*.

---

[1] III Reg. 12, 1. [2] IV Reg. 17, 2ss.: 25, 1ss. [3] I Macch. 1, 21. [4] Thren. 2, 20-21. [5] I Cor. 2, 8.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

runt, quas qui videre desiderat, Hegesippum nostrum et eorum auctorem proprium, Iosephum, *De captivitate Iudaica,* legat [1].

Haec sunt pro parte dissensionis exempla [a], quae satis innuunt quantum dissensio sit vitanda, quantum [b] pax et concordia diligenda.

Caput XIV.

De eadem pace speciatim.

O quam veneranda est unitas pacis, cuius vestigium est reperire in omnibus creaturis! Contraria contrariis [c], frigida calidis, humida siccis, et sic de ceteris oppositionibus [d], concordi pace ad invicem foederantur, ita quod nihil dedecet, nihil universitatem perturbat, nihil eius pulcritudinem devenustat, sed omnia quadam pace tranquillissima conquiescunt, singula ad suum ordi-

---

a *l* E add. *extra.* *b* E add. *que.* *c* PE add. *et.* *d* E *oppositis.*

---

1 Praesertim Lib. V-VI, inter Flavii Iosephi *Opera,* Parisiis 1847, II, 270-303.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

nem recurrunt, loca sua petunt, extra suum ordinem inquieta sunt. Si enim lapis millesies[a] iaciatur sursum, semper tendit deorsum, non quiescit donec repetat locum suum; si oleum ceteris suffundamus liquoribus, continuo suae deiectionis[b] impatiens relabitur ad superna nec quiescere potest infra.

Nonne suis partibus constant singula quasi unitatis[c] quodam vinculo colligata? quae, cum[d] ad suum locum veniunt, quia nihil habent ultra quod appetant, conquiescunt. Et in hoc[e] universitatis quaedam harmonia [sive] musica est: quod a primo tenebroso corpore, infra quod nihil est, usque ad Deum, supra quem nihil est, universitas[f] tam diversorum quibusdam similibus et mediis coniuncta est, ut nullo interrupto[g] appareat nihil tam esse diversum quod toti universitati per medium non conveniat, et quasi[h] quadam continuatione cohaereat. Haec ergo est pax et mundana musica sive harmonia in omnibus creaturis. Omnia enim ordinata sunt et rationibus nexa firmissimis et bona sunt propter concordiam unitatis; quae enim discrepant et discordant, minime bona sunt,

---

[a] E *nullus.* [b] E *devectionis.* [c] E *quae videas.* [d] E *tum.* [e] E *hac.* [f] A *universitatis.* [g] E *nulla interruptio.* [h] E *quin.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sed cum [a] uniri coeperint, bona fiunt. Uniuntur autem extrema per medium. Sic [b] enim *pax nostra Christus, qui fecit utraque unum* [1]. Mediatoris assumpsit officium et ferculum Salomonis lignis libani, columnis argenteis, aureo reclinatorio, ascensu purpureo [2], tanta varietate distinctum, legimus mediante caritate constratum.

Caput XV.

De pace humana. Quod eam spiritus rationaliter appetat.

In mundo, inquit Dominus, *pressuram habebitis, in me autem pacem* [3]. Cum igitur quaedam praelibata sint de pace mundana, sequitur de humana.

Humanam dixerim, non quae est hominum carnalium, sed spiritualium. Haec autem pax ab

---

[a] E *ubi*. [b] E *si*.

---

[1] Ephes. 2, 14. [2] Cf. Cant. 3, 9-11. [3] Ioan. 16, 33.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

anima rationali multum appetitur, appetita acquiritur, quaesita plurimum impeditur, impedita postmodum reperitur, reperta nutritur, nutrita augetur, aucta perficitur, perfecta fruitur, et sic anima quietatur. In [a] istis gradibus procedatur.

Elevare igitur [b], fidelis anima. Cur moerore contraheris et cur curiositate distenderis? Pacem naturaliter appetis. Si enim animalia cibum appetunt, propter saporis experientiam, quoniam appetitus non est nisi ad dulcedinem et delectationem, quare non appetis [c] pacem? Sed tuus nunquam satiabitur appetitus, donec fuerit obtenta pace tranquillus; nec tibi pax naturaliter desiderata succedet, donec inveneris quid aviditatem tui appetitus terminet; et secundum Prophetam, cum in terram nostram venerit requies et pax erit. Sicut autem, membrum corporis, ut puta pes aut manus, si disiunctum fuerit et deseruerit locum suum in ordine et compage membrorum, mirabilem dolorem ingerit, et donec ad locum suum redierit vel reductum fuerit, non quiescit: sic appetitus animae modo quodam affligitur, donec summum appetibile repererit, in quo pacifice quietetur.

---

[a] A *et*. [b] E *ergo*. [c] Ita P corr. E; A *appetas*.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Citra vero summum semper tibi restat quid appetas, quid desideres, et quid petas. Age igitur donec venias ad optatum, quoniam ubicumque citra substiteris, invenies afflictivum [a], nisi tamen illud referas ad supremum. Falsa iucunditas tibi offert pacis effigiem; sed sub delectationis imagine vel umbraculo veram palliae infelicitatem, non secus quam quispiam vehementer aeger [b] desiderat sanitatem, sed ob praesentem molestiam, adustionem ignis exhorret et medici sectionem. Et licet morbus ipsius per medicinae mollitiem augeatur, videlicet unctionibus et fomentis, tamen haec [c] magis exhiberi desiderat aeger, deceptus sub specie sanitatis, quia tamen non poterat habere morbus remedium, nisi per incisionem vel cauterium [d]. Sic et nos febricitantes et patientes in anima, curam quaerimus per suavia sive delectabilia, falsum reperimus remedium, perseverat tamen in nobis sanitatis desiderium. Sic appetitum pacis non amittimus, sed medicinam efficaciter non sentimus.

Hic autem appetitus naturalis [e] per Dei gratiam informatus, a mentis et corporis perturba-

---

[a] E *afflictionem.* [b] A *a. v.* [c] E *hoc.* [d] E *cauteriem.* [e] E *naturaliter.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tionibus nos restringit et cum tranquillitate puritatem cordis inducit. In hoc enim parentes nostros, dignitates transitorias, divitias terrenas, mundanas delicias et carnalia cuncta relinquimus, ut puritatem cordis et pacem obtinere possimus; quae, si [a] prae oculis nostris iugiter statuta non fuerit, labores nostros vacuos reddet [b] et instabiles, et cogitationes varias, immo contrarias suscitabit. Necesse est enim mentem nostram, si non habuerit quo recurrat, cui [c] per appetitum inhaereat, non solum non quietari [d], sed semper incursuum varietate mutari et in illum statum, qui primus occurrerit, ex iis quae extrinsecus accidunt, transformari.

Inde est quod videmus et plangimus aliquos Regulares perturbari propter res modicas, ut pro libello vel tabulis vel huiusmodi, qui tamen multas sprevere divitias; et tanto zelo frequenter codicem servant, ut eumdem ab aliis vix etiam tangi permittant et pro talibus effrenatius irascentes, pristinum affectum, quem in rebus magnis habuerunt in saeculo, adhuc in sui periculum retinentes, qui si puritatem cordis et appetitum pacis fixum [e] tenerent, nunquam morbo

[a] P om. *si.* [b] E *redderet.* [c] E *tibi.* [d] P *inquietari.* [e] P *fixam.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

impatientiae pro talibus subiacerent, praesertim cum vitium non sit in rebus, sed in rerum affectionibus. Ideo enim ut sciamus relinquere minora per affectum, maiora relinquimus per effectum, et utinam [a] tanto pacis et puritatis desiderio inflammemur, quanto pecuniae cupidissimus appetitor, vel qui pro honoribus assequendis ambitione vana distenditur, ardore fervescit. Certe si hoc nobis contingeret, et huiusmodi [b] appetitus nos amore succenderet, desiderabilis [c] despiceretur cibus necessarius, horreret potus, respueretur et somnus, sicut Beatus Franciscus, ferventissime verbis et operibus praedicat, qui *cinerem tamquam panem manducans et poculum suum fletibus miscens* [1], « impossibile, dicens, necessitati satisfacere et voluptati non obedire » [2].

---

[a] PE add. *in*. [b] E *huius*. [c] E *desiderabiliter*.

---

[1] Ps. 101, 10. [2] Cf. II Cel., n. 69.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput XVI.

Quod appetitam quaerit.

Quoniam igitur pacem, anima rationalis [a], appetis et quietem, secundum verbum propheticum: *Inquire pacem et persequere eam* [1], quamvis enim hic non habeatur ut [b] habebitur, tamen hic saepe studiosissime perquiratur. Nam quare prosequenda est? nisi quoniam hinc fugit, quae [c] in patria [d], perpetua stabilitate consistit. Illic eam invenire non poterimus nisi nos eam hic diligentius inquiramus. Sed ubi hanc pacem, Domine, poterimus invenire? nam quocumque te verteris, anima, invenies [e] miseriam et dolorem, nisi te totam [f] ad tuum converteris Creatorem.

« Tu, Domine, fecisti nos ad te et quid mirum, si inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te [2]? » Laudamus ea quae creata [g] sunt, quia

---

[a] E *rationabiliter*. [b] E add. *ibi*. [c] AE *qui*. [d] E *propria*. [e] A *reperies*. [f] Ita A corr.; PE *tamen*. [g] E om.

---

[1] Ps. 33, 14. [2] Augustin., *Confes.*, I, c. 1 (PL 32, 661).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sunt pulcra; revertere ad Creatorem et vide quanto pulcrior ille qui condidit universa. Si tibi res placeant temporales, amorem tuum, si recte sapis, in earum artificem tu refundes. Si[a] quid vero amore[b] sincero diligitur, evanescit et deperit, si non in Domino stabilitur. In amore creaturarum, quia sunt instabiles, statum quietis non invenies[c], sed hoc tibi praestant, quod per eas ad inveniendum eum, qui pax est stabilis, tu ascendis. Ne quaesieris eum forinsecus, quia frustraberis. Intus est in animo tuo, immo tuo intimo[d] intimior est quem quaeris. Interroga caelum et terram, mare et abyssos et omnem creaturam viventem; respondebunt tibi voce consona: non sumus ille quem quaeris, supra nos dirige viam tuam; *Ipse fecit nos, et non ipsi nos*[1]; vestigium pacis in nobis invenies, eo quod pacifice nobis[e] indicta servitia faciamus, sed pacem, quam quaeris, non invenies, quia nos in stabilitate nostra quasi[f] continue laboramus. Sic[g] eveniet tibi, si ascenderis[h] a terra usque

[a] A *sed.* [b] A *amor;* E add. *et.* [c] P *invenis.* [d] PE om. [e] A add. marg. [f] E om. [g] E *haec.* [h] A corr. marg. pro *ascendens.*

[1] Ps. 99, 3.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

ad caelum et quousque poteris mittere radios spiritualium oculorum.

Quid frustra consumeris? Si gaudere velis forinsecus, occurret pro luce tenebra, quaedam forte dulcedinis species phantastica; rerum imagines hauries et eas lambes sine rerum veritate, cognitione famelica. Immo quoniam offendimus Creatorem nostrum, si creaturas interroges, habebis tale responsum: miser homo, Creatori tuo servire debueras, et ideo super nos, ut serviremus tibi, dominium accepisti; denegamus tibi servitium tale, quale tamen super nos primitus in plenitudine servitutis acceperas. Tibi reputetur in poenam, quoniam excessisti. Pacem et quietem quam quaeris, in nobis non invenies, quoniam Creatori serviens [a] creatura contra filios male meritos [b], sicut dicit Sapiens [1], in supplicium excandescet. Terram tibi, de divina iustitia, spinas et tribulos germinat; tamen eadem tibi victum tribuens de ipsius misericordia te sustentat [c]. Petis tibi a nobis exhiberi pristinum famulatum, sed iustum est, si tibi tuum rependatur meri-

[a] A *deserviens.* [b] E *nutritos.* [c] PE om. *terram tibi... sustentat,* nisi excipias *de divina iustitia.*

[1] Sap. 16, 24. Cf. Augustin., *Confes.*, X, c. 6, n. 9 (PL 32, 783).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tum, te in omni creatura sentire tormentum. Vide quod minima vix sensu pervia te molestant, dormire non sinunt. Nulla quietant [a]. Adverte quid in tuo lapsu perdidimus, qualem in principio faciem praetendebat mundus. Perfecta fuerunt caelum et terra, et quae sunt inter haec media omnia et singula mira pulcritudine decorata: caelum stellatum luminibus micans, aër et aqua volatilibus et natatilibus mire tripudians; terra multimodis herbarum naturis et virgultorum diversitatibus plena, floribus et fructibus opulenta, avium modulatis cantibus omnium [b] silvarum consona resonabat. Iumenta gregatim iuxta proprium genus in silvis discurrentia exultabant, maris facies sua tranquillitate gaudium praenuntiabat et pacem; quietissimi motus undarum vibrabantur veluti prata virentia tenuissimis et innoxiis statibus, summitatis superficiem [c] congrua subtilitate crispantes.

At vero propter tuum flagitium et reatum terra maledicta est in opere tuo, et omnis creatura commutata est in peiorem statum. Erubesce tamen! Terra stat, et tu, propter quem facta est, stare non potes, sed viliter corruisti; nec [d] ar-

[a] E *multa inquietant.* [b] E *omnibus.* [c] A *super faciem.* [d] A *neque.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tifex tuus, nec terra, de qua factus fueras, te impulit ad cadendum, sed proprium vitium. Te enim artifex condidit ad aeternitatem. Terra, de qua factus es, habuit et conservat stabilitatem; et ideo proprio vitio corruisti et in veram miseriam incidisti. Nulla enim creatura te miserior, si bene consideres originem tuam et nativitatem tuam corpoream [a]. Ceteris enim creaturis maiorem videtur Deus dedisse copiam et tutelam. Dedit eis varia tegumenta, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera, truncos, arbor [b] etiam [c] cortice gemino a frigoribus et calore tuta est. Homo vero nudus et in nuda humo die natali ad vagitus abicitur et ploratus; nascens autem de terra procedit per carnis originem; vivens super terram [d] pertransit, et moriens in terram revertitur, per carnis corruptionem: *Maledicta terra in opere tuo* [1], et maledictus es [e], homo [f], super terram: *In sudore vultus tui pane tuo vesceris, et comedes herbas terrae* [2]. Et nunc pacem quaeritas,

---

[a] E om. *t. c.* [b] E *truncis arbor.* [c] E *et.* [d] PE om. *abiicitur... super terram.* [e] E *est.* [f] A corr. marg. pro *hoc.*

---

[1] Cf. Prov. 29, 17-22. [2] Gen. 3, 17.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

quam poteras obtinere. Invenies quod Iob[1] dicit: *Quis restitit ei, et pacem habuit*[2]?

Caput XVII.

Quod quaesitam non invenit, quia subiacet vitiis.

Sustinuimus pacem, et non venit; quaesivimus bona, et turbatio successit[3]. Pacem appetimus, appetitam quaesivimus. Quid igitur impedimento est quod eam non invenerimus[a]? forte quia non quaeritur a qualibus[b] quaeri debet aut ubi[c] quaeri debet[d] aut quo modo quaeri oportet.

Mentem enim corruptam vitiis, quam remordet conscientiae vermis, quae distrahitur cogitationibus vanis, quae vexatur terrenis desideriis, quia iacet in spinis, requiescere non credamus, quia *non est pax impiis, dicit Dominus*[4]. Sicut autem in aqua turbida non resultant limpidae

---

[a] A *invenimus*. [b] E *quolibet*. [c] P. add. *que*. [d] E *debeat*.

---

[1] Gen. 3, 19. [2] Iob 9, 4. [3] Ier. 14, 19. [4] Isai. 48, 22.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

rerum imagines, ita nec pacis serenitas, ubi sunt peccatorum sordes, quae licet abundent in nobis, tamen, proh dolor! intelliguntur a paucis. Taceamus interim de illis qui oculos cordis sui contegunt crasso velamine vitiorum, qui vident et non vident nec intelligunt. Isti vix etiam capitalia crimina in suis cordibus recognoscunt. Sunt enim lippientibus et caecutientibus oculis similes, qui in tenebris constituti vix aliquid intueri possunt, nisi magna sedilia et consimilia [a], quae manu palpante contingant. Quid istis et paci [b], cuius dulcedinem amovet amaritudo peccati?

Ceterum etiam [c] viros sanctos non esse penitus a peccatis immunes Scriptura dicit, quia *septies in die iustus corruit, et resurgit* [1], nec tamen huiusmodi [d] lapsus, de conditione fragilitatis humanae trahentes originem, impediunt sanctitatem et pacem ipsius. Aliud est enim committere mortale peccatum, aliud est cogitatione aliqua praeveniri, vel ignorantiae vel oblivionis vel facilitate otiosi sermonis offendere aut sub-

[a] E *cubilia*. [b] E *cum pace*. [c] A om.; E *et*. [d] E *huius*.

[1] Prov. 24, 16.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tili vanae gloriae titillatione pulsari, vel necessitate naturae aliquantisper a summa perfectione recedere. Impossibile est enim ut non aut ignorantia aut vanitate aut negligentia aut obreptione aut cogitatione aut necessitate aut oblivione peccetur.

Hae sunt enim septem differentiae lapsuum, in quibus animadvertimus cadere iustum virum [a] tamen quamvis in ista ceciderit, iustus esse non desinit. Quae licet levia videntur et parva, tamen sine peccato nos esse non posse convincunt et purgantur quotidiana poenitentia. Remittuntur autem maxime per confessionem et orationem, quoniam, sicut dicit Dominus: *Creavi fructum labiorum pacem* [1].

Secundum autem modum puritatis cordis et impuritatis, invenitur et impeditur serenitas pacis. Sed ego et mei similes cogitationum subreptiones aut illos lubricos et occultos pruritus, qui mentem subtili suggestione compungunt et captivant animam, non possumus purgatis aspectibus intueri, sed semper in verecundis cogitationibus

[a] PE *unum*.

[1] Isai. 57, 19.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

evagantes, dolere non novimus, cum ab illa pacifica contemplatione distrahimur, nullam culpam penitus existimantes ex istis otiosis verbis [a] et lubricis [b] cogitationum excursibus nos posse contrahere, et velut oculorum caecitate perculsi et hac hebetudine stupefacti, cum in nobis peccata gravia non videmus, quae etiam [c] hominum saecularium iudicio reprobantur, nos credimus in secura pace versari, et minutias multarum sordium, quae intra nos congestae sunt, per nostram negligentiam non videmus; et sicut Sacrae Scripturae conclamant, ignorantes [d], in huiusmodi [e] viventes praelio, pacem appellant.

Qui vero sunt a nostro numero segregati, quieti vacare volentes et paci salubri compunctione mordentur, si tristitiae torpor irrepserit, si subtili suggestione gloria vana pulsaverit, si tepidior orationis affectus exierit, si aliud oranti se ingesserit, si coeperint aliquid loqui vel agere tacite vel etiam cogitare de quibus erubescerent coram homine, et praesentis puniunt poenitudinis ultione. Fastidiunt igitur universa perfecti, in quibus mundus iste versatur; tamen impossibile

---

a E *vebis.* *b* P rep. *verbis.* *c* E *et.* *d* E *inconstantes.* *e* E *huius.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

est quin circa hoc brevi saltem cogitationum rapiantur excessu [a]. Excepto siquidem Domino Iesu Christo, nunquam sic defixus in Deum aliquis invenitur per contemplationem, quin ad mundana descendens aliquando [b] peccaverit per alicuius rei dilectionem. Inter sanctos enim nemo immutabilis, *et caeli non sunt mundi in conspectu eius* [1]. Excipimus autem gloriosam Virginem Mariam, de qua, cum de peccatis agitur, non facimus mentionem [2]. Sed quod in nobis miserabilius est, etiam in orationis momento peccatum declinari non potest. Corpus enim mortis huius, quod in nobis circumferimus, a caelesti nos intuitu retrahens, ad terrena deducit, et psallentes vel in oratione prostratos vel humanas effigies vel sermones vel negotia vel actus facit superfluos retractare, cui consonat anima, simulacrorum perceptorum [c] effigies repraesentans et illudens imaginatione. Hae sunt muscae volatiles, quae ad sacrificium veniunt Abrahae [3] et vix abigi [d] possunt sua importunitate.

---

[a] E om. [b] E *aliunde*. [c] E *praeceptorum*. [d] P post corr. *abici*.

---

[1] Iob 15, 15. [2] Cf. Augustin., *De natura et gratia*, c. 36, n. 42 (PL 44, 267). [3] Gen. 15, 11.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput XVIIII.

Quomodo possumus cognoscere quod radix peccati vivit in nobis. Hoc ex incidenti.

Illa quae *de sursum est sapientia, pudica est et pacifica* [1], quoniam hominem pudicum reddit et in pace custodit. Hoc autem est in terra sapere defectus suos agnoscere; ideo [a] scire debemus nostra vitia ut curemus. Si enim nondum curatis vitiis ad altiora tendimus, effectus vitiorum forte reprimitur, sed affectus eorum non extinguitur. Latitat enim intra nos radix omnium vitiorum, quae si extirpata non fuerit aut remedii curationem non acceperit, germinat in immensum [b].

Cum enim quadam anxietate mentis videmus ad nos hospites venientes, vivit in nobis impatientiae fomes. Si culpaverimus moram, iam reperimus vivere in nobis tristitiam et iracundiam. Si frater noster codicem nostrum [c] petierit ad legendum vel rem consimilem, et nos eius petitio

[a] E *immo.* [b] P *in metisum;* E *in me rursum.* [c] E om.

[1] Iac. 3, 17.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

contristaverit vel negatio nostra petentem repulerit [a], cognoscere possumus in nobis avaritiae seminarium et radicem. Si nos viventium species adducta in medium vel etiam cogitata moverit ad titillationem, deprehendere possumus necdum in membris nostris extinctum fornicationis ardorem. Si nos statum nostrum alieno statui comparando tentaverit elatio, cogitantes quia maior est nostra perfectio, nonne videmus nos superbiae peste corruptos? Et licet ista lateant, cum tamen in radice vivant, nacta occasione [b] prodeundi, sicut accidit cum mundanae miscuerimus nos conversationi, protinus de cavernis nostrorum sensuum procedentes, nuntiant istae pestes non tunc nasci primitus cum [c] erumpunt, sed tunc ostendere quod intra diutius latuerunt.

In iis autem existit remedium, ut ex iis quilibet [d] humiliet semetipsum et iugiter recogitet in se ipso quomodo multiplici laboret vitio ut haec prodirent ad publicum, nisi Summus Medicus afferret remedium; et cum pro meritorum nostrorum quadam superficie superbimus, obiurgantes nosmetipsos, dicamus: quid superbia tu-

---

[a] A *expulerit.* [b] E *occasionem.* [c] E *tamen.*
[d] A cor. marg. pro *quibus.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

mes aut de te praesumis, cum tibi multa supplicia proponens et te satis validum ad omnes iniurias ferendas crederes, ad verbum reprehensionis unicum corruisti, statim ex inopinato patientiam perdidisti? Ubi est illa patientia tua, quae levissimi verbi prolatione amissa est et confusa? Domum tuam super solidissimam petram, sicut tibi visum est, construxisti, quam levis aura subruit et commovit. Ubi est illud quod inani fiducia, bellum in pace desiderans, proclamabas, et cum Propheta dicebas: *Paratus sum et non sum turbatus* [1], *proba me et scito cor meum, Deus meus?* [2] Exigua hostis umbra contrivit ingentem tuum apparatum certaminis.

Hoc enim nobis immobiliter est tenendum quod non solum iniuriarum ultio nobis divina lege, sed etiam [a] earum memoria prohibetur, et quotquot perfecti sumus, id sapiamus. Et si quis ista detrimenta viderit, quidquid iniuriarum inferetur eidem, etiam a tyrannis, ne dixerim tantum a proximis, avide et pacifice sustinebit [b]: nihil enim periculosius iracundia nec pretiosius animi pace et cordis dulcissima puritate. In iis ergo pax

[a] E *et.* [b] PE *sustinebis;* A corr. marg. pro *sustinebat.*

[1] Ps. 118, 60. [2] Ps. 138, 22.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

non invenitur, licet ipsa quaeratur, sed vitiis occurrentibus impeditur.

Caput XIX.

Quod non invenitur pax, quia sumus in praeliis.

Pax etiam non invenitur quamdiu confertur praelium, quamdiu concertatur ad victoriam obtinendam. Secundum enim Sapientis sententiam: *Tempus est belli, tempus est pacis* [1]. Bellum in exercitio, pax est in ostensione victoriae et virtutis.

Suscitant enim adversum nos odia, muniunt castra diabolus, mundus et caro nostra. Contra istos hostes Apostolus se suscepisse pugnam asseruit: contra daemones, quando [a] contra *potestates* et principatus et *rectores tenebrarum harum* se pugnantem ostendit [2]; et qui contra bestias pugnavit Ephesi [b] [3], pugnare se monstrat contra perversos amatores mundi; et qui pugnavit, *non quasi aërem verberans, sed proprium*

[a] E *quoniam.* [b] E om. *pugnavit Ephesi.*

[1] Eccle. 3, 8. [2] Ephes. 6, 12. [3] I Cor. 15, 32.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

castigans corpus et redigens in servitutem[1], ostendit suum praelium contra carnem.

Tres igitur isti tyranni sunt qui contra nos exercitus suos in praelium producunt et habent singuli [a] suas instructas acies ad inferendum bellum animae, quae, si fuerit incauta vel negligens, se tandem [b] dolebit occumbere, nisi voluerit et opere probaverit se viriliter dimicare. Habet in exercitu suo diabolus suggestiones, mundus tentationes, caro delectationes.

Diabolum autem vincimus [c], si cum perseverantia suggestiones ipsius suscipere recusamus; mundum vero, si constanter eius prospera despicimus et patienter aspera toleramus; carnem vero, si non eius pravis desideriis consentimus. Sed hostes semel devicti non statim desistunt, ne [d] pax continua esse possit, sed tentant iterum et iterum moliuntur quomodo possint irrumpere, et cum timidi sint, audaces se simulant et in animam impetum faciunt, cum terrore probare conantur quid sit in nobis animi. Parant insidias, explorant tacite, ut superveniant improvisi. Fit

[a] A add. marg. [b] A om. [c] E *vicimus*. [d] Ita P corr., E; A *ut*.

[1] I Cor. 9, 26.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

praelium magnum et concertatio diuturna, donec, invalescentibus nobis, desperati cessent atque discedant frustrati penitus a spe sua. Et sic obtinebimus requiem post certaminis patientiam et laborem. Tunc mundus, qui consueverat saevire, pacatur[a] et carnis desideria roborato spiritu sopiuntur.

Nemo enim scit, nisi qui vicerit, quanta pax, quanta iucunditas in victoria vitiorum consistit. Et tunc invenit anima requiem, quia *cum placuerint Domino*[b] *viae hominis, inimicos eius convertet ad pacem*[1]. Nonne iucundum est, cum coeperint incentiva carnis et immunda desideria, quae de concupiscentia carnis emergunt, freno temperantiae cohiberi, pudicitiae suavitate perfundi, et, cum fuerit superata gulae concupiscentia, non se vernaculum ventris sui dicere vel sentire, sed in Domino puris affectionibus exultare? Amor carnis si fuerit perfecte sopitus vel igne divini amoris absorptus aut saltem ab eius tyrannide quadam temperie minoratus, non poterit mens ab eius afflictione turbari, cuius non potest delectatione dissolvi. Ideo[c] qui in tot praeliis habet[d] congredi, sicut definierunt antiqui-

[a] E *placuit.* [b] A add. *meo.* [c] E *immo.* [d] E *debet.*

[1] Prov. 16, 7.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tus Patres, fiat necesse est ambidexter [1]: duabus enim manibus utitur in praeliis homo sanctus. Dexteram dixerim, cum successus spirituales, qui ad dexteram pertinent, sic aequanimiter tolerat ut [a] subintrans gloria vanitatis elatum non deiciat, et in eis, quae [b] a sinistra sunt et ad sinistram pertinent, viriliter dimicans nulla desperatione concidat; et in utroque statu triumphator effectus, tam de dextera [c] quam de sinistra palmam victoriae consequatur.

Sed caveas, athleta Christi, ne, quando dimicas, ante tuum conspectum solem aut pulverem habeas sive ventum. Sol enim ante faciem visum eripit, ventus contrarius vim tuarum missibilium sagittarum aut telorum deflectit et adversariorum tela in te convertit. Pulvis a fronte congestus oculos implet et claudit. In solis claritate sublimitas, in venti fragilitate vanitas, in pulvere terrae cupiditas, quae [d] si affectu cordis conspicis et ante faciem tuam ponis, victoriam perdis victusque succumbis. Ambidexter et fortis

---

[a] A corr. marg. pro *vel.* [b] E *qui.* [c] AE habent *t. d. s. q. d. d.* [d] E *qua.*

---

[1] Cf. Cassian., *Coll.* 6, *De nece sanctorum,* c. 10 (PL 49 657).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

existe, ut audias verbum angelicum quod scriptum est in libro Iudicum [1]: *Pax tibi, virorum fortissime.* Renovatus enim spiritu mentis suae per singulos dies aut proficiet aut deficiet et in posteriora, immo deteriora, labetur; velut si quis contra aquas fluminis violenti navem subigere remorum impulsione conetur: necesse est enim aut virtute brachiorum torrentis impetum contrarium vincere et ad superiora conscendere aut remissis manibus ad inferiora descendere. Et secundum sententiam Patrum, non dubitemus nos retrorsum fuisse revocatos qua die nos non senserimus ad superiora progressos: caritas enim aut deficit aut proficit. Et quis in viae lubrico stare possit? Pugil, auriga, venator propter mercedem exiguam exercitium suum peragunt et propter favorem popularem milites saeculares ventum seminant et turbidinem [a] metunt, et tamen [b] laborare vel pugnare non cessant. Quanto magis Christi militibus pugnandum est strenue pro salute sua, non pro gloria populari, sed pro gloria beatitudinis sempiternae. Sicut autem de lege bellorum hoc legimus institutum, ut ex do-

[a] P add. *in;* E *inturbidum.* [b] PE om.

[1] Cap. 6, 12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

nativo, quod milites consequuntur, pars quaedam, de qua sustentari possent, eisdem erat pro necessariis conferenda, pars autem alia, ne consumeretur inaniter, custodita et tempore opportuno reddenda: ita si legitime certaveris, pax tibi reddetur pectoris et tandem pax aeternitatis. Haec est [a] pax super pacem, sicut *sabbatum ex sabbato,* sicut Propheta [1] scribit.

Caput XX.

Quod non invenitur pax in controversiis.

Pax etiam non invenitur ubi debuerat inveniri, secure dixerim, apud aliquos regulares, licet Paulus [2] in Epistolarum suarum exordio *in pace et gratia* salutet omnes fratres. Licet autem in quibusdam pax penitus non turbatur, tamen eidem frequenter amaritudo miscetur, quia sicut [b] homines imbecilles adversantur paci propter terrenam substantiam, sic [c] inter spirituales oriuntur contentiones et rixae verborum propter opinionum

[a] E om. [b] E *sic.* [c] A corr. marg. pro *sit;* E *sicut.*

[1] Isai. 66, 23. [2] Ephes. 1, 2; Gal. 1, 3 etc.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

discrepantiam. Opiniones enim suas quandoque stulte concipiunt et cum maiori temeritate defendunt; et quia plus iudicio nostro quam aliorum credimus, frequenter diabolicis decepti laqueis, turpiter aberramus. *Transfigurat* enim *se frequenter* [a] *diabolus in angelum lucis* [1] et tetram caliginem sensibus nostris pro verae scientiae lumine fraudulenter infundit et sic gravem patimur introrsus interitum, recipientes in cogitationibus nostris pro angelo lucis angelum tenebrarum.

Sed impossibile est quempiam evadere perniciem proprio iudicio confidentem. Propter hoc [b] monet Apostolus [2], *ut eamdem caritatem habentes, idipsum sentientes, idem unanimes sapiamus, nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam* proferamus. Vidi ego regulares aliquos vel aliquas, ex quodam affectu frivolo, quem habere videbantur ad sanctos, sic ad invicem altercari quod in verbis suis contumacibus et pertinacibus videbantur unius sancti gloriam diminuere ut videretur alterius gloria [c] superexaltari;

---

[a] E om. [b] E *propterea*. [c] A *gloriae*.

---

[1] II Cor. 11, 14. [2] Philipp. 2, 2-4.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sed [a], sicut dictum est in [b] ante habitis: *Non est Deus dissensionis, sed pacis* [1]; *servum Dei non oportet litigare* [2]. Non ergo [c] simus in huiusmodi disceptationibus [d] prompti et in orationibus pigri. Sufficiunt beatis et adiuvant nos eorum merita, qui pace fruuntur aeterna. Nos autem qui manemus in tenebris et parum habemus luminis, non statuamus cum pertinacia proprias definitiones, quia viri sancti esse nequeunt pertinaces. Sicut enim cera ante faciem ignis fluit et liquescit, sic cor humanum, Spiritus Sancti fervore concepto, iudicio meliori cedit et, sopitis aemulationibus, in pace et gratia requiescit. *Illuminare* ergo, Domine, *iis qui in tenebris sedent, et dirige pedes nostros in viam pacis* [3].

---

[a] E *licet*. [b] E om. [c] A *igitur*. [d] A *disputationibus*.

---

[1] I Cor. 14, 33. [2] II Tim. 2, 24. [3] Luc. 1, 79.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput XXI.

Quod non invenitur in divitiis vera pax.

Pax etiam non invenitur, quia non est ubi quaeritur. Non enim invenitur in divitiis, quae magis materiam administrant litigiis, inquietudinibus et aerumnis, licet sentire non videantur laborantes hoc morbo, quia non considerant circa divitias quantus est ardor in ambiendo, labor in acquirendo, timor in possidendo, dolor in relinquendo. Timet avarus potentem ne rapiat, furem etiam [a] ne furetur, et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Nulla sibi [b] vera tranquillitas, ubi nunquam mens sine sollicitudine vigilat, nec [c] corpus recreat debita somni suavitas:

Ploratur [d] lacrimis amissa pecunia veris [1].

Inde [e] Psalmista deceptum se fuisse perpendit, quia tales felices et in pace vivere reputavit; unde sententiam retractavit: *Zelavi*, inquit, *super iniquos, pacem peccatorum videns* [2]. Incon-

[a] E om. *etiam*. [b] E *ibi*. [c] A *neque*. [d] A in marg. *Virgilius*. [e] E *ipse*.

[1] Iuvenalis, *Satyra* 13, v. 134. [2] Ps. 72, 3.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

gruus zelus est invidere perituris et eos putare felices quos aeterna certum est damnatione percelli. *Pacem,* inquit, *peccatorum videns;* bene *videns,* quia pax ista non intelligitur, sed [a] videtur, aspectibus nostris illudens. Cum enim huiusmodi peccatores videntur ab aliquibus [b] locupletes dominari [c] populis et in mundo non esse quod timeant, putantur habere pacem, sed pax ista cum eorum conscientia semper litigat, rixatur intrinsecus, et cum hostem non habeat, secum ipsa decertat. Sed prima sententia revocatur, quia *deiecisti eos, Domine; dum allevarentur, subito defecerunt* [1] et *propter iniquitatem* suorum criminum *perierunt* [2], ut subito desolatus appareat quem tanta felicitate pollere putabant. Desiderium enim, si compleatur [d], non oblectat [e] animam; ergo si non impletur, pacem tollit, fatigat et cruciat eam. Sed *avarus,* secundum Salomonis sententiam [3], *pecunia non impletur;* ergo continue desiderans, continue cruciatur.

Nam et ipsi divites, si totum mundum singuli [f] possiderent, tamen adhuc in desideriis

---

[a] E *licet.* [b] E *ut non.* [c] E *damnari.* [d] E *non impleatur* pro *s. c.* [e] E *oblectatur.* [f] A om.

---

[1] Ps. 72, 18-19. [2] Ibid. [3] Eccle. 5, 9.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

arderent. Viget enim in eis ignis qui *nunquam dicit: sufficit* [1], qui iam fere totam mundi huius silvam exussit, ut nec amicitiarum nec propinquitatis, interdum nec filiorum nec coniugis amorem habeant, dum retinerent cupiditatis ardorem, nisi quod videtur eis dulce in coeno volutari et se revolvere, sicut delectatur porcus [a] in fimo, scarabaeus in [b] stercore; et quanto magis in iis sordibus volutantur, tanto magis non rei pretio, sed voluntatis vitio delectantur.

Sed respondeant mihi, cur sic appetantur ab eis divitiae? Forte dicent propter voluptatem corporis aut propter exhibitionem honoris aut propter ultionem, ut se vindicent de inimicis. Primum repellitur, si mensae pauperis et divitis conferantur. Iste dives ventris distensione rumpitur, ciborum multitudine et oppressione premitur [c], et anima, tali existens in corpore, palpitat et velut in naufragii cuiusdam fluctibus immergitur, ubi neque [d] oculus neque lingua neque pes propriis famulentur officiis, sed omnia membra corporis, vini [e] vincta vinculis, iacent oppressa

[a] A om. [b] A om. [c] PE *rumpitur*, quod supra omissum erat; E *ut*. [d] PE *nec*. [e] E *vivi*.

[1] Cf. Prov. 30, 15.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

gravius quam catenis [1]. Et sicut relictos animo et stupentes aqua frigida spergimus [a] ut ad sensum sui redeant, ita istorum viscera [b] torpentia vitiis torrentur et ardent, nisi vina reperiant [c]. De conviviis portantur ad lectos, ubi somniis exterriti nihil salubritatis sentiunt aut quietis, Salomone testante [2]: *Saturitas divitis non sinit cum dormire.* Sed in mensa pauperis salubritas et suavitas abundat, ubi potus et cibus tantus est ut famem et sitim expellat; inde [d] procedit sanitas, quies, ratio et honestas. Sed quis divitis huius convivia voluptuosa dixerit, nisi qui voluptatis veritatem non novit? Haec enim est voluptas, ut prosequitur noster Chrysostomus [3], cum quis desideriis fruitur; ubi vero [e] frui desideriis non potest, abundantia sine dubio et voluptas in eis pariter et iucunditas perit.

Nec honores conferunt divitiae. Faciunt enim ut careatur honore caelesti, qui verus honor est, quoniam terrenus fuscatus et falsus est. Sicut

---

[a] E *aspergimus.* [b] E *vitia.* [c] E *reperiantur.* [d] E *cui.* [e] A *non.*

---

[1] Cf. Chrysost., *In Matth.*, hom. 49, 5 (PG 57, 470). [2] Eccle. 5, 11. [3] Cf. *Ad populum Ant.*, hom., 2, n. 7, 8, (PG 49, 44, 45).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

enim mulieres vagae, cum turpes sint, facies suas pingunt coloribus et pigmentis, ut incautam decipiant iuventutem, quae non considerat sub illo velamine latentem turpitudinem, sic in divitiis nos [a] videmus, cum divites honorantur, non propter virtutem, sed propter hominum perverse laudantium adulationem. Nam si de puritate conscientiae verum proferant testimonium, eos arguendos assererent quos prius laudibus extollebant.

Non expectantur etiam [b] divitiae causa vindictae, cum audiamus Christum dicentem: *Mihi vindicta, et ego retribuam* [1].

Sed paupertas, inquiunt, gravis est: facit enim hominem multam penuriam sustinere, multa inhonesta committere. Sed si veritatem advertas, non haec paupertas efficit, sed pusillanimitas; alioquin Iob et Lazarus in suis paupertatibus blasphemassent, quanto [c] gravia sustinuissent; ideo *qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum et tentationem diaboli* [2].

Sed advertendum est quod non omnes divites aut eorum divitias execramus, si tamen acquirantur sine pravitate, custodiantur cum humilitate,

[a] E *non*. [b] E *et*. [c] E *quando*.

[1] Hebr. 10, 30. [2] I Tim. 6, 9.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

expendantur cum frugalitate et cum sobrietate, distribuantur pauperibus cum pietate. Unde Salomon, loquens de divitiis, non dixit: 'qui habet divitias', sed *qui amat eas, fructum non capiet ex eis* [1]. Bene ex eis fructum non capiunt, qui eas immoderatius diligunt, quia [a] famem irritant et famelicos reddunt. Procedant in medium illi quinque [b] phrenetici, quos beatus Pater Bernardus inducit [c] [2]: « Vidi, inquit, quinque fere phreneticos, quorum unus arenam masticabat maris; alius adstans lacui sulphureo exhalantem vaporem foetidissimum haurire gestivit; tertius incubans fornaci vehementer accensae, micantes scintillas ore aperto laetabatur accipere; quartus supra pignaculum templi residens, ventum attrahebat ore, ventum flabello commovens, ac si totum speraret aërem deglutire; quintus, seorsim positus ceteros irridebat, qui proprias carnes [d] sugere laborabat, nunc ori brachium, nunc partes alias applicabat ». Quid ista protendunt nisi miserorum miserabilem famem, quam ii [e] cibi, qui naturales non sunt, magis

[a] E *quae.* [b] E *vere.* [c] E *educit.* [d] A om. [e] E *quia;* om. *ii.*

[1] Eccle. 5, 9. [2] Cf. *De diligendo Deo*, c. 7. n. 21 (PL 182, 987).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

provocant quam extinguunt [a]? Capacem enim [b] Dei animam, quidquid Deo minus est, implere non potest; immo, sicut beatus Augustinus [1], in libro [c] *Confessionum*, asserit: « Egestas est omnis copia quae Deus non est ».

Peregrinis etiam [d], qui veraciter patriam pacis quaerunt, divitiae onerosae sunt, quas, ne graventur in via, relinquunt. Sufficiunt eis unde sustententur et defectus suppleant necessarios et motus reprimant noxios et lascivos, sicut scriptum est [2]: *Unusquisque colebat terram suam cum pace et terra Iuda dabat fructus suos.*

Caput XXII.

Quod non invenitur pax in deliciis.

Pax etiam non invenitur in deliciis, ubi [e] nos illae decipiant, qui esse sub sentibus delicias reputabant. Nam sicut noster Philosophus, immo Theologus, refert, habet hoc voluptas omnis:

---

[a] E add. *famem.* [b] A add. marg. [c] E add. *tredecimo.* [d] E *et iis.* [e] A *nisi;* PAE *illi.*

---

[1] Lib. XIII, c. 8, (PL 32, 848). [2] I Macch. 14, 8.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

stimulis agit fruentes, aculeus sub melle latitat, in appetitu viget anxietas et poenitentiam [a] habet satietas; ibi nulla requies, nulla iucunditas. More brutorum voluptuosi lasciviunt distensis ventribus, sed eorum voluptates turpes habent exitus: *Propter crapulam enim multi pereunt* [1], et, *cum dixerint: pax et securitas, repentinus eis supervenit* [b] *interitus* [2]. Necesse est enim mentem, cui nequam voluptatis spiritus insederit, quibusdam furiis agitari et ignitis impudicitiae stimulis impeditam, vagabundam et ebriam, ad omne flagitium et turpitudinem, soluto freno totius honestatis, impelli; quare [c] impossibile est in deliciis requiem et pacem inveniri.

Quid tibi, Salomon, deliciae profuerunt, quae tibi prae [d] ceteris abundantius affluxerunt? *Vadam,* inquit, *et affluam deliciis et fruar bonis, nec prohibui cor meum quin* [e] *omni voluptate frueretur et oblectarer in eis* [3]. Habebas antea [f] pacem per circuitum; suscitavit contra te Dominus servum [4], bene servum, quia vilissimus ser-

---

[a] E *plurium.* [b] A *superveniet.* [c] E *quia.* [d] A om. [e] P add. *ne.* [f] PE *anima.*

---

[1] Eccli. 37. 34. [2] I Thess. 5, 3. [3] Eccle. 2, 1. [4] III Reg. 11, 11.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

vus efficeris quicumque mancipium tui [a] ventris existis. Inducit enim vita voluptuosa dolorem, laborem, paupertatem et mortem. Indurandus est animus et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus; debellandae sunt corporeae voluptates: vicerunt plurimi [b] potentes adversarios suos, quos tandem voluptates et vina vicerunt.

Si minus abundat in corpore sudor, non per voluptatis mollitiem, sed exeat per laborem. Effeminat mentes deliciarum amoenitas. Multum laborem, inquit sapiens quidam, recusant manus quae ad arma ab aratro transferuntur. Nos autem ut strangulent, deliciae amplectuntur. Et quomodo pax haberetur [c], ubi semper de mortis insidiis formidatur? Ideo [d] Ieremias ait: *Ne ingrediaris domum convivii* [1], et sequitur [2]: *Abstuli pacem meam a populo isto, dicit Dominus.* Et legis in Apostolo [3]: *Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto.*

Consideremus infirmos qui fastidio perurgentur, quibus suaves proponuntur cibi, qui magis eis horrori sunt quam voluptati. Perit in eis iucun-

---

[a] E om. [b] A *vincerunt,* E *praelio.* [c] PE *habetur.* [d] E *immo.*

---

[1] Ier. 16, 5. [2] Ibid. [3] Rom. 14, 17.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

ditas, quia perierat ciborum illorum cupiditas, quia voluptas non in naturali cibo, sed consistebat in desiderio. Filii Israël post multam fatigationem itineris fruebantur de saxo fluentibus frigidis aquis, quasi cibo mellis [1]. Quod enim dicitur: *De petra melle saturavit eos* [2], non est verum ad litteram, cum nunquam legerimus [a] in Scriptura Sacra de saxo fluxisse mellis substantiam, sed aquae frigidae, quas produxit Dominus, *mel* [b] appellantur, quia per eas sitis aviditas explebatur. Non est ergo dubium quin victus [c] simplicior plus iucunditatis et quietis habeat quam voluptas effusior.

Sed quid dicam de nostrorum temporum remissionibus et de parsimonia, quae vigebat in antiquis Patribus? qui diebus duobus aut tribus refectione dilata, tempora transigebant sine ullius cibi memoria; alii vero duobus paximatiis [d], id est panibus [e] parvulis et unius librae ponderis, vitam in eremo sustentabant; alii suapte refecti [f] vix sumpsisse cibum, adveniente nocte [g], se me-

---

[a] E *legamus.* [b] E add. *autem aquae.* [c] E *virtus.* [d] E *paximatis.* [e] PE *panulis.* [f] E om. [g] E *morte.*

---

[1] Exod. 17, 1 ss; Num. 20, 1 ss. [2] Ps. 80, 15.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

minerant. Sed in iis *qui potest capere, capiat* [1], et suarum consideret virium facultatem, nec paucorum privilegia legem cogunt esse communem. Scio tamen veracem sententiam, nimietates aequales [a] esse dicentem. Ad unum enim finem nimietas ieiunii et voluptatis superfluitas pervenit [b] et utrumque frequenter incautum deicit, et frequenter, quos per ingluviem non potuit hostis decipere [c], per immoderationem ieiunii vidimus cecidisse. Ergo sic media gradiendum via, quod nos a tramite sobrietatis et abstinentiae non consentiamus abduci nec rursum remissione nimia per carnis desideria relaxari.

Sic enim tractandum corpus ut serviat, non ut rebellet aut lasciviat; habenda est cura carnis, non fovenda deliciis, sed exercenda salutaribus disciplinis. Cibus quanto honestius ingeritur [d], tanto facilius digeritur, et corpus dulcius consopitur et somniorum honestas exoritur et cum minoris afflictionis taedio surgitur et robustius et alacrius laboratur. Omnia tamen [e] dis-

---

[a] E *inaequales*. [b] PE *evenit*. [c] A corr. marg. pro *percipere*. [d] PE *ingreditur*. [e] E *cum*.

---

[1] Matth. 19, 12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cretione praevia sic agantur, ne deficiente spiritu vel languente corpore, spiritualia retardentur. Sic enim auferremus [a] corpori boni operis effectum, spiritui affectum, Deo honorem debitum, proximo subsidium et exemplum. Non dico quin caput aliquando [b] dolere debeat in servitio Christi, quod aliquando [c] forte laboravit usque ad morbum in [d] vanitate mundi, sed in omnibus ponenda ratio discretionis et modi. Ideo [e] secundum verbum Ecclesiastici [1]: *Disciplinam in pace conservate, filii.*

Caput XXIII.

Quod non in dignitatibus et excellentiis pax reperitur.

Pax etiam non invenitur in dignitatibus, honoribus atque excellentiis.

Semper enim *ut cancer* [f] *serpit* [2] ambitio. Tanto enim te a pace longius esse reperies, quanto

---

[a] A *aufferimus;* E *offeremus.* [b] E *abunde.* [c] E *abunde.* [d] PE *et.* [e] E *in modis, immo* pro *e. m. I.* [f] A corr. marg. pro *cantum.*

---

[1] Eccli. 41, 17. [2] 2 Tim. 2, 17.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

magis in istis mundanis operibus appetitum pones. Facilius enim ad honorem verum ille pervenit et [a] pacem qui spernit omnia, quam qui [b] via pergens anfractuosa circuit et mendicat suffragia, ut appetitam obtineat dignitatem; et adepta dignitate non sequitur quietudo, sed magis et [c] magis crescit ambitio, quam [d] in tantum nostris temporibus videmus excrescere, quod quidam impudentissimi canes appetunt esse pastores, in gregem dominicum sicut canes [ad] lacerandum [e] insurgunt, quia nec verbo nec exemplo nec subsidio sibi commissas oves dominicas pascere sciunt; et ideo [f] non est pax Absalon [g], qui dominandi succensus libidine conatus est patris imperium usurpare [1]. Pacem tales in se non habent, nec in aliis fovent; *viam pacis non cognoverunt,* sed *contritio et infelicitas in viis eorum, nec est timor Dei ante oculos eorum* [2]. Non enim sic indifferenter et [h] passim ad istos honores currerent plurimi, si timerent. Terreret eos mentis impuritas, corporalis virtutis imbecillitas, oneris diffi-

---

[a] A *etiam.* [b] In A est add. marg. [c] AE *ac.* [d] E *quoniam.* [e] E *latrando.* [f] E *immo.* [g] E *Absaloni.* [h] A corr. marg. pro *quia.*

---

[1] II Reg. 15, 1 ss. [2] Ps. 13, 3.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cultas. Reputabat enim se insufficientem Paulus, magnitudinem tanti aspiciens principatus; timebat enim *ne praedicans aliis ipse reprobus haberetur* [1].

Vis in honore magno vivere? scias animo proprio imperare. Honore siquidem digni sunt, qui alios virtutibus excellunt, qui vitiis illis carent quibus alii de facili non resistunt. Non autem appetendus temporalis honor est, qui vitium non repellit [a] neque [b] virtutem mentibus inserit nec nequitiam fugat, sed potius manifestat, sicut publice dicitur quoniam honor mores manifestat, facit improbum dignitas despectorem. Talis enim maculat dignitatem. Honor enim, qui virtus est animi, neque ab Imperatore praestatur nec adulatione [c] nutritur nec [d] pecunia comparatur; temporibus non mutatur, non evanescit ut ventus, non inflatur ut spuma, non transit ut umbra vel tamquam praecurrens [e] nuntius aut tamquam navis, quae pertransit fluctuantes aquas, et cum praeterierit, nullum eius vestigium invenitur [2].

Videmus enim dignitates huiusmodi [f] vel ho-

---

[a] A *depellit.* [b] AE *nec.* [c] E *revelatione.* [d] PE *sed.* [e] E *percurrens.* [f] E *mundi huius.*

---

[1] I Cor. 9, 27. [2] Alluditur ad Sap. 5, 9-11.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

nores nequissimis hominibus evenire et eorum pateret indignitas, si nullis honoribus velaretur [a]. Non enim debemus [b] homines propter honores reverentia dignos iudicare, quos ipsis honoribus iudicamus indignos; per has enim dignitates umbratiles veri [c] non contingunt honores. Sed hominum fallax opinio creat [d] eas et ideo non perdurant [e]; et cum in eis nihil sit decoris [f] proprii vel naturalis, opinione utentium nunc splendorem accipiunt, nunc amittunt. Si igitur homines esse reverendos et honorabiles facere nequeunt dignitates, si malorum contagione sordescunt, si mutatione temporum splendere desinunt, quomodo in eis homines pacem et quietem inveniunt? Ideo [g] monemur secundum Esdrae consilium [1]: *Ne quaeratis pacem eorum et prosperitatem eorum usque in aeternum.*

---

[a] E *vallarentur.* [b] E *dolemus.* [c] E *ubi.* [d] E *teneat.* [e] E *perduravit.* [f] E *doloris.* [g] E *immo.*

---

[1] I Esdrae 9, 12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput XXIV.

Quod non in terrenis amicitiis sit pax quaerenda.

Pax etiam non invenitur in communibus et [a] vulgaribus amicitiis, quoniam inter amicissimos inimicitias graves obortas aliquando [b] novimus, quae pristinam delebant dulcedinem et inexpressibilem pariebant amaritudinem: quae perseverare non possunt secundum carnem. *Homo,* inquit Dominus [1], *pacis meae, in quo sperabam* [c], *magnificavit super me supplantationem.* Et de quibusdam fictis amicis sic loquitur Ieremias [2]: *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico loquitur et occulte ponit ei insidias.*

Sed ne videamur omnem amicitiam condemnare, debemus eam distinguere. Est igitur amicitia [d] bestialis, qualis est puerorum; est et [e] carnalis, qualis est voluptuosorum; est et [f] temporalis, qualis est cupidorum; est et [g] spiritualis, qualis est sanctorum.

---

[a] A *vel.* [b] E *obunde.* [c] A *speravi.* [d] E add. *primo.* [e] E *secundo.* [f] E add. *tertio.* [g] A *etiam,* E *quarto.*

---

[1] Ps. 40, 10. [2] Ier. 9, 8.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Puerilis est illa quam vagus et lasciviens producit affectus, sine ratione, pondere et mensura, sine consideratione [a] commodi vel incommodi alicuius; ideo [b] bestialis, quia [c] non regitur ratione nec inter licita vel illicita novit discernere [d]: et hic [e] affectus ad tempus vehementius allicit, arctius stringit [f], sed quia rationem non sequitur, ea facilitate [g] solvitur qua creatur [h]. *Est enim amicus secundum tempus suum et* tamen *non permanebit* in longum [1].

Talis erat amicitia Patris Augustini [2] ad amicum suum, cocta, ut dicit, fervore parilium [i] studiorum. De cuius subtractione per mortem sic loquitur: « Solus, inquit, fletus dulcis erat mihi, et successerat amico meo in deliciis animi [k] mei, et nunc, Domine, iam illa transierunt et lenitum est tempore vulnus meum; miser eram et miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, et dilaniatur, cum eas amittit ». Ideo licet amicitiam quandoque affectus [l] praeveniat, nunquam tamen

[a] A *ratione.* [b] E *immo.* [c] E *quae.* [d] PE *discretione.* [e] E *sic.* [f] E *astringit.* [g] PE *facultate.* [h] E *tenebatur.* [i] E *puerilium.* [k] A *amici.* [l] E *affectu.*

[1] Eccli. 6, 8. [2] *Confess.* IV, c. 4, 5 (PL 32, 697).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sequendus est, nisi ratio ducat, honestas temperet, iustitia regat.

Haec [a] autem dicitur puerilis, eo quod in pueris viget talis affectus instabilis. Est autem impura, venenum continens, eo quod carnis concupiscentia et aspectus mutuus, quasi quidam fumus exhalans honestatem eius obnubilat, et neglecto spiritu frequenter ad desideria carnis trahit [b]; procedit tamen et serpit hoc modo, ut colloquantur et corrideant et benevole sibi ad invicem obsequantur. Si tamen absque nugis et mendaciis processerit, cum [c] benevolentiae signis sine vitio alicuius inhonestatis, toleranda est quasi quoddam principium amicitiae sanctioris, eo quod accedente tempore et annorum maturitate et studiorum spiritualium parilitate et maiori gravitate et affectu purgatiore ad spiritualem amicitiam contingit per huius exercitium devenire.

Amicitia autem carnalis est quam creat [d] consensus vitiorum ab affectione procedens, sequens sensus exteriores per varia fornicantes. Hanc libido maculat, avaritia foedat et omnis iniquitas devenustat. Non est autem [e] amicitia vera, nisi

---

[a] E *hic*. [b] Ita P corr., E; A *traxit*. [c] E *tuta*. [d] E *qua coeat*. [e] E *haec*.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

per Spiritum Sanctum in cordibus nostris caritate diffusa [1]. Cum igitur in amicitiam quamdam [a] voluptuosi consentiunt, quidquid est turpitudinis alter pro altero patiuntur et agunt, et tamen hac amicitia decepti nihil dulcius esse credunt. Sed si talis dulcedo corda eorum afficiat, quanto magis illa, quae est securior et castior, veros amicos oblectat!

Amicitia vero temporalis vel verius mundialis procreatur ex aliqua cupiditate rei temporalis vel utilitate praesenti, quoniam amici dicuntur multi. Sed in bonis semper praecedit amicitia, sequitur utilitas, sicut in malis semper antecedit pensata privata commoditas.

Amicitia vero spiritualis propriam utilitatem non aspicit, sed ex naturae [b] dignitate et morum bonitate consurgit. Est enim cum quadam caritate et benevolentia consensio. Caritas enim excludit omne vitium; benevolentia vero exprimit omnem dulcedinis interioris affectum. Idem enim est in eis velle et nolle, tanto dulcius, quanto sincerius, ubi sic amantes nihil possunt velle quod dedeceat, nihil nolle quod expediat.

---

a E *amicitia quadam* pro *a. q.* *b* A corr. marg. pro *natura.*

---

1 Rom. 5, 5.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Hanc [a] enim prudentia dirigit, iustitia regit, temperantia moderatur, fortitudo custodit. Habet vera amicitia fructum vitae praesentis quae nunc est et futurae. Absit enim quod [b] ab ista quamdam excludamus pacem! Homo enim bestiae comparatur, qui spiritualis amicitiae non experitur suavitatem et virtutem. Magna enim iucunditas habere amicum cum quo audeas loqui sicut et tecum, si deliqueris [c], ei confiteri non timeas, si profeceris, revelare non erubescas, cui omnia consilia [d] et secreta tua committas. Quid ergo iucundius quam ita unire animo animum, ut quasi ex duobus fiat unum, ut nulla iactantia timeatur, nulla suspicio formidetur, nec correptus alter ab altero doleat nec laudantem alter alterum adulationis notet vel arguat?

Fons autem et origo amicitiae amor est. Nam amor sine amicitia esse potest, sed amicitia sine amore non est. Amor autem aut ex natura procedit, sicut mater diligit filium; aut ex officio, quando ex ratione dati et accepti quodam affectu coniungimur [e] speciali; aut ex sola

---

[a] E *hunc.* [b] E *ut.* [c] P *delinquens;* A corr. marg. *delinquens* pro *delaqueris.* [d] A *consulta.* [e] A corr. marg. pro *coniungitur;* E *spirituali* pro *speciali.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

ratione, sicut diligimus inimicos, non ex spontanea mentis inclinatione, sed ex praecepti necessitate; aut ex solo affectu, quando aliquis propter bonum corporeum alicuius sibi inclinat affectum: sic enim propter facundiam, fortitudinem aut pulcritudinem corporalem homo diligit hominem; aut ex ratione simul et affectu, quando quis propter virtutis meritum et morum suavitatem in alterius influit animum. Et sic ratio affectui iungitur, ut amor sit ex ratione castus, dulcis ex affectu; cuius fundamentum Dei amor est, ad quem omnia, quae vel amor suggerit vel affectus vel [a] occulte ingerit spiritus vel suadet amicus, referenda sunt. Et diligentius intuendum ut quidquid astruitur, fundamento conveniat, et quidquid illud excedere deprehenditur, ad eius formam revocandum et secundum eius qualitatem penitus corrigendum.

Sed ut ad propositum redeamus, excedere videtur omnem dulcedinem amicitia vulgaris, sed tamen laetis tristia coniunguntur et infinitae amaritudines subsequuntur et pacis suavitas interrumpitur. Licet enim grata sit amicitiae connexio, tamen timetur offensio et se ingerit

[a] E om.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

suspicio et eamdem amaricat detractio et certa est futura quandoque divisio. *Susurro* enim *et bilinguis* ideo *maledicitur in populis* [1], quia *multos turbavit pacem habentes* suis machinationibus fraudulentis.

Sed dicis: omni tempore diligit qui amicus est; non est ergo amicitia, quae dissolvi potest. Dico quod [a] amicitia quodammodo aeterna [b] est et esse debet. Si enim te laeserit [c] ille quem tu diligis, tu tamen dilige: dilectionem non subtrahis, saluti eius tu consulis, famae [d] eius tu prospicis, secreta sua non prodis, tamen familiaritatem eius non habes et in hoc tibi provides. Ad amicum enim semper habetur regressus, excepto convicio et improperio et superbia et mysterii revelatione et plaga dolosa. In iis enim omnibus effugiet amicus.

Quatuor autem sunt quae videntur ad amicitiam pertinere: dilectio, affectio, securitas [e] et iucunditas. Ad dilectionem spectat beneficiorum exhibitio; ad affectionem quaedam interior delectatio [f]; ad securitatem [g] sine timore et suspi-

[a] E *quia.* [b] E om. [c] PE *laesit.* [d] E *formae.* [e] E *sinceritas.* [f] E *dilectio.* [g] E *sinceritatem.*

[1] Cf. Eccli. 28, 15.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cione omnium secretorum et consiliorum revelatio; ad iucunditatem omnium, quae contingunt aut cogitantur aut docentur [a], quaedam dulcis et amica collatio. Si ergo quiddam [b] praedictorum quinque occurrerit [c], in quo amicus amicum offenderit, subtrahitur illa interior delectatio, quam amicus ex amici pectore hauriebat; perit securitas, qua illi sua consilia revelabat; tollitur iucunditas, quam amica confabulatio pariebat. Familiaritas igitur assueta, quae praedicta continet, est ei neganda, non dilectio subtrahenda, et hoc cum moderatione et reverentia, ut veteris amicitiae quaedam videantur remansisse vestigia, non dico familiaritatem etiam in hoc casu rumpendam subito, sed dissuendam paulisper pro negotio, pro tempore et loco.

---

[a] E *dicuntur*. [b] E *quaedam*. [c] PE *occurrint*, A *occurrerint*; E om. *quinque*.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput XXV.

Quod in secreto cordis vera pax invenitur.

Appetisti, quaesivisti, non invenisti, fidelis anima, quam desideraveras pacem, evagata nimis exterius [a]. Finem pone [b] tuis excursibus; *ingredere in requiem tuam* [1], *iam* [c] *dicit Spiritus, ut requiescas a laboribus tuis* [2]. Ad cor tuum revertere, clauso ostio sensuum deforis, quoniam clauso ostio dixit Dominus discipulis suis: *Pax vobis* [3].

Pugnavimus deforis, inivimus cum vitiis iurgium. Contrahamus in cordis cubiculo cum pace commercium et *erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium* [4]. Iustitiam exercemus [d], cum adversus titillantia vitia nos luctamur; pacem vero tenemus, cum ad interiora nostra regredimur; pacem dico, non pacis perfectionem, sed

---

[a] E *evacuata nimis extra* pro *e. n. e.* [b] E om. [c] PAE *ibi.* [d] E *exercentis.*

---

[1] Ps. 114, 7. Cf. Cassian., *Coll.* 6, *De oratione,* c. 25 (PL 49, 816-7). [2] Apoc. 14, 13. [3] Io. 20, 19. [4] Isai. 32, 17.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

illius perfectae pacis imaginem. Quamdiu enim vitiis repugnatur et hic [a] vivitur, plena pax non est, quia et illa quae resistunt, periculoso debellantur praelio, et illa quae victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc [b] sollicito premuntur imperio.

Ingressus igitur cordis cubiculum teneat iuge silentium. Unde sine contradictionis obstaculo se exerceat in meditatione. *Sedebit,* inquit, *solitarius et tacebit, quia levabit se supra se* [1]. *Sedet* anima serenata in suis affectionibus, *solitaria,* separata a cunctis temporalibus; *tacet* [c] attenta meditationibus; *levat se supra se* per contemplationem elevata in caelestibus.

Non est enim anima meditationibus idonea nisi fuerit taciturna. Semper enim viri sancti, ut pacis gaudium obtinerent [d], silentium et solitudinem sunt sectati. Sic Elias vel Carmeli montem incolit [2] vel in spelunca latitat [e], et Ioannes in deserto habitat [3] et Dominus in silentio et oratione pernoctat [4]. Si enim animo feriato

---

[a] E *sic.* [b] E *hoc.* [c] A corr. marg. pro *tenet.* [d] E *obtineant.* [e] A corr. marg. pro *latuit.*

---

[1] Thren. 3, 28. [2] III Reg. 18, 42. [3] Matth. 3, 1 ss. [4] Luc. 6, 12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

furtim et velut in raptu praelibare poteris libere [a] meditationis spiritualis gaudia, non credo quod aliquid unquam, quisquis es, ages libentius aut experiaris dulcius aut appetas avidius.

Tunc autem, tenet silentium mens perfecte, quando [b] vis sensitiva [c] cessat a sensibilium exteriorum apprehensione, vis imaginativa a phantasmatum formatione, vis memorativa a peccatorum infestantium recordatione, vis intellectiva a rationum collatione [d]. Apprehensio enim sensibilium animam sollicitat extra nec permittit eam quiescere intra. Sic enim in Threnis [1] habes [e]: *Oculus meus [f] afflictus est nec tacuit, eo quod non esset requies.* Ingrediuntur enim [g] animam qualitates rerum per aditus sensuales: ingerit visus petulantiam, auditus pruritum, gustus suavitatem [h], lingua procacitatem [i], olfactus odores, tactus perniciosam mollitiem et ex iis omnibus rumpitur silentium. Et eo fit mens distracta minus pacifica, quo plura receperit [k] oblectamenta.

---

[a] E *et bibere.* [b] E *quoniam.* [c] P *sensitivam.* [d] E *ab orationum collocutione* pro *a. r. c.* [e] E *interius hebes* pro *i. T. h.* [f] E *mentis.* [g] A add. *ad.* [h] E *inanitatem.* [i] E add. *ut.* [k] E *acceperit.*

---

[1] Thren. 3, 49.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Teneat [a] etiam vis imaginativa silentium a formatione phantasmatum, quia discurrit imaginatio inter rationem et exteriorem sensum, et quidquid hauritur per sensum carnis extrinsecus, ipsa rationi [b] repraesentat interius; semper eidem assistit nec ab ea se subtrahit, adeo quod in tenebris constituti vix cohibere possumus quod importune perstrepit in cordis auribus [c]. Dum enim psallimus [d], dum oramus, phantasias cogitationum amovere volumus nec valemus, et incursu tot phantasmatum turbatur cordis sabbatum [e].

Taceat etiam vis memorativa a peccatorum infestatione. Recordatio peccatorum praeteritorum satis est utilis [f] incipientibus agere poenitentiam, ut lacrimarum imber [g] ex recordatione culpae procedens extinguat concupiscentiam. Sed, ut dicitur in libro *De collationibus* [h] *Patrum* [1], cum viris spiritualibus recordatio peccatorum praete-

---

[a] E *tenet.* [b] E *ratione.* [c] P *per strepitum cordis hausimus* (in marg.) *auribus;* E *per strepitum cordis hausimus oneribus.* [d] PE *pulsamus.* [e] E *subiectum.* [f] E *utiliter.* [g] E *imbre.* [h] E *collucutionibus.*

---

[1] Cassian., *Coll.* 20, *De poenitentiae fine,* c. 9 (PL 49, 1166).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

ritorum occurrerit [a], sic ab ea resiliendum est, sicut honestus et gravis quispiam refugit si impudicae et procacis feminae colloquiis aut amplexibus se miscuerit; forte reatum criminis non admittit, tamen infamiam a videntibus non evadit. Videntes autem angeli viros perfectos talibus imaginationibus involutos, non dicunt: *Benedictio Domini super vos* [1]. Nam etsi [b] non adsit consensus in huiusmodi immundis cogitationibus, tamen necesse est tamdiu quempiam praefocari vilissimo cloacae foetore, quamdiu super eam stare vel coenum eius voluerit commovere. Huiusmodi [c] enim recordatio foeditatis mentem a contemplatione retrahit puritatis; unde potius appetitu virtutum et caelestis regni desiderio quam noxiis vitiorum recordationibus, cum praedictus occurrerit status, nos ipsos ad compunctionem provocare debemus.

Taceat et quarto vis intellectiva a rationum collatione [d]. Discurrit enim ratio a conclusione in conclusionem, et quia ratio mixta est phantasmati [e] et successiva [f], secum ingerit falsitatem [g]. Transeat

[a] E *occurrit.* [b] E *si.* [c] E *huius.* [d] E *collucutione.* [e] P add. *et tempori.* [f] P *successivam.* [g] E *fluitatem.*

[1] Ps. 128, 7.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

igitur hunc discursum et purificet per silentium mentis intuitum, erigatur ratio in Deum, convertatur in naturam simplicem, et inveniet veritatem, pacem et quietem. Locum sine strepitu vult dilectus, ubi [a] illud gratissimum canticum auditur: *Lectulus noster floridus* [1], non sordens spurcitia vitiorum, sed redolens elegantia liliorum aut certe [b] rutilans amoenitate rosarum. *Dilectus* enim *candidus et rubicundus* [2] cubiculum quaerit ornatum rosis et liliis. *Candidus* enim est qui peccatum non fecit, *rubicundus* est qui proprio cruore nos lavit. Luce siquidem sua nostrum illuminat intellectum ad intelligentiam veritatis et rubore roseo affectum inflammat per desiderium caritatis. Habeat igitur in nobis puritas candorem et poenitentia vera ruborem.

Cum igitur [c], sicut dictum est, ab exteriorum [d] strepitu mens intra secretarium suum se receperit, et circumstrepentium turbas vanitatum effugerit et clauso ostio suo [e] divitias suas spirituales perlustraverit et nihil occurrerit inquietum, nihil inordinatum, nihil quod remordeat

[a] A om. [b] E *recte*. [c] A *ergo*. [d] E *exteriori*. [e] A om.

[1] Cant. 1, 15. [2] Cant. 5, 10.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

vel oblectet, sed omnia iucunda, pacifica et tranquilla, et ad instar ordinatissimae et pacatissimae cuiusdam familiae, omnis cogitationum, sermonum et operum turba [a] ipsi animo quasi patrifamilias [b] domus arriserit, orietur subito mira securitas et iucunditas in modum cuiusdam iubili, ut dicat ingrediens: *Pax huic domui* [1]! Nullatenus autem in secreto conscientiae tuae suaviter pausare poteris quamdiu nimis inhaeseris [c] rebus transitoriis et terrenis. Sancti enim viri, dum rerum praesentium mutabilitatem aspiciunt, continuo omnia, quae in hoc mundo videntur pulcra, eis in cognitione [d] vilescunt [2] et quasi [e] revertentes ad arcam [f], olivam in ore deferunt, quoniam tanto ardentius Conditoris sui speciem concupiscunt, quo in rebus conditis nihil quod delectaret [g] inveniunt. Delectabiliter intus mens pascitur, quia delectabiliter foris non tenetur, et quasi ad arcae suae portum columba reducta iam secura tripudiat, quae [h] in mundi

---

[a] E *tuba.* [b] A *patrisfamilias;* E om. *domus.* [c] A corr. marg. pro *in haeresis* et om. *nimis.* [d] E *cogitatione.* [e] E *quia.* [f] A om. *a. a.* [g] E *delectet.* [h] E *quia.*

---

[1] Luc. 15, 5. [2] Alluditur ad Gen. 8, 11.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

fluctibus prius naufraga erat. Ibi [a] audis Dominum tecum colloquentem et illud propheticum adimplentem [1]: *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos et in eos qui convertuntur ad cor.*

Caput XXVI.

Quod inventa nutritur.

Ego murus, et ubera mea turris, ex quo facta sum coram eo pacem reperiens [2]. Post [b] discursus varios et diverticulorum dispendia, fidelis anima tamquam fatigata diutius in se revertitur, Deo sistitur, et pax, ut dictum est [c], invenitur. Quid igitur impedimento est aut quid restat nisi quod pax inventa nutriatur?

Nutritur autem dulcedine caritatis sicut parvulus pendens ad ubera nutritur pinguedine lactis. Dicat ergo quae huiusmodi est: laboravi, iugo

---

a E *ubi.* *b* E *prius.* *c* E om.

---

1 Ps. 84, 9. 2 Cant. 8, 10.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

multiplici fatigata, proprium cubile repetii, pacem inveni, *ego murus et ubera mea turris* et cetera [a] quae sequuntur. Ego *murus* firmum habens propositum sanctitatis; *murus,* ex arena et calce, scilicet humilitate et ferventi caritate confectus; *murus* solidus ex vivis lapidibus spirituali caemento cohaerentibus, non [b] materia dissipata, sicut murus fictilis et fictitius [c] in Babylonis aedificatione collapsus. *Et ubera mea turris,* dum parvulos protego et foveo verbis salutaribus et exemplis: *turris,* dum protego; porrigens *ubera mea,* dum nutrio; *turris* enim a tuendo dicitur et ubertim lac ab uberibus distillatur. *Facta sum coram eo pacem reperiens: coram eo,* hoc est ad Deum [d] respiciens, ei placere contendens, meam semper in eo pacem quaerens et inveniens.

Nonne igitur ad cor suum anima reversa divinam imaginem in se cognoscit, cognitam diligit, dilectione solidatur ut *murus?* Diabolicis impugnationibus arietata resistit ut *turris,* et in dulcedine dilectionis, sicut in affluentia lactis, propriam pacem fovet et nutrit, semper habens

---

[a] E om. [b] A *in.* [c] A corr. marg. pro *fictionis.* [d] E *Dominum.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

intentionis oculum ad Dominum maiestatis. Sic dilecta dilecto iungitur et dilectus ad eam convertitur per dilectionem et impletur illud Moysi verbum [1]: *Convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem.*

Ex ista coniunctione pacifica, velut ex osculo pacis, iam impletis uberibus et amoris lacte fluentibus, sponsus sponsam impinguat et dulcedo geminae dilectionis Dei et proximi statim exuberat. Ex iis amplexibus et uberibus alitur fructus pacis, manant deliciae spirituales de visceribus caritatis. Quidquid enim spiritualium deliciarum in nobis existit, de vera dilectione procedit. Hoc enim est iugum Domini quod super nos iubemur tollere, et [a] inveniemus requiem animabus nostris [2]. Iugum enim hoc, a iungendo dictum, dilectio est quae iungit et ungit, non dividit nec [b] pungit; pennas habet, sed ponderis gravitate caret et ideo leve est et onerosum non est; hic in pace quiescitur et ab operibus servilibus animus feriatur. Quidquid autem sentimus gravitatis et poenae, de reliquiis [c] concupiscentiae resultat

[a] A rep. [b] A *neque* [c] A corr. marg. pro *dereliquis.*

[1] Num. 6, 26. [2] Cf. Matth. 11, 29-30.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

humanae, secundum verbum davidicum [1]: *Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Viget in carne concupiscentia, surgit in mente nequitia, quia dum latens in carne vitium tyrannice dominatur, virtutum virilitas enervatur, pax animae perturbatur. Sic enim in nostris corporibus videmus accidere ut pro morbo interiori vel sanitate corporea, ea quae exterius accidunt molesta nobis videntur aut grata. Venatores enim, aucupes vel vanitatum talium sectatores maxime [a] laborant exterius in corpore, tamen secundum qualitatem affectionis intrinsecae videntur delectabilibus inservire. Cibus etiam [b], qui morbum auget alterius, proficit sanitati alterius, et solis splendor [c], qui lippientibus [d] oculis lumen eripit, sanis iucundius illucescit. Et sicut est in corporalibus, sic est in spiritualibus. Sicut [e] enim duobus ad eamdem mensam residentibus et eisdem cibis appositis, alter murmurat, alter exultat, et duobus paupertate laborantibus, alter gratias agit, alter blasphemat: sic in spirituali-

[a] E om. [b] E om. [c] A *sol idem numero* pro *s. p.* [d] P *lippidientibus.* [e] E *sic.*

[1] Ps. 37, 3.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

bus nos videmus. Caritas enim, cum mentem alicuius possederit, non sinit eam ullis perturbationibus commoveri, sed omnia contraria, quae occurrunt, ad sui profectus usum provenire [a] compellit. Sed concupiscentia latitans intra, si fuerit indignatione qualibet excitata, mox de cordis recessibus, quasi de cavernis abditissimis bestia saeva prorumpens, durissimis passionum morsibus miseram animam lacerat et cruentat adeo ut nullum tempus eidem tranquillitatis et pacis indulgeat.

Ut autem [b] hoc lacte caritatis pax vera nutriatur in nobis, diliges te ipsum, diliges amicum, diliges inimicum, diliges Deum, sicut scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum et proximum sicut temetipsum* [1]. In proximo intelligimus amicum et etiam inimicum. Pax igitur cordis et tranquillitas in sui dilectione sentitur et in dulcedine supernae [c] dilectionis hauritur et in Dei dilectione plenius exhibetur. Sed non habemus de nostri dilectione praeceptum: esset enim supervacuum, cum sit nobis diligere nos naturaliter insitum.

---

[a] E *pervenire*. [b] E om. [c] E *fraternae*.

---

[1] Matth. 22, 37, 39.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Licet autem sic de huiusmodi dilectionis motibus distinguatur, ita tamen sibi ad invicem connectuntur [a], ut dictae dilectiones singulae in omnibus et omnes in singulis habeantur. Exordiamus a primo.

Te ipsum diliges et pacem reperies [b], si ambules coram Deo in conscientiae puritate, quoniam secundum beatum Iob [1]: *Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae.* Sicut autem *qui diligit iniquitatem odit animam suam* [2], in amaritudine conversatur, ita qui sectatur munditiam, se ipsum diligit et pacis dulcedinem experitur et Deum per cordis munditiam contemplatur. Propter quod pacem et sanctimoniam Apostolus [3] coniungit in unum: *Pacem*, inquit, *et sanctimoniam sequimini, sine qua nemo videbit Deum.*

Diliges [c] similiter *proximum tuum,* scilicet amicum, si pacem tuam nutrire volueris. Sic [d] enim *bestiae terrae,* secundum testimonium beati Iob [4], *pacificae erunt tibi et scies quod pacem habeat*

---

[a] E *convertuntur.* [b] A *reperis.* [c] PA *dilige.* [d] E *sicut.*

---

[1] Cap. 8, 6 [2] Ps. 10, 6. [3] Hebr. 12, 14.
[4] Cap. 5, 23-24.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tabernaculum tuum et visitans speciem tuam non peccabis. Bestiae terrae pacificae electis fiunt, cum homines impugnationibus daemonum [a] resistunt; et inde cum Deo pax robustior oritur, unde nobis pugna durior generatur. *Visitat* autem suam *speciem,* qui habet ad proximum caritatem: species enim hominis est alter homo, et ideo *species* nostra dicitur noster proximus, quia [b] in eo cernimus quod [c] ipsi sumus. Immo *speciem* suam ille *visitat* qui ad eum, quem sibi similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit, ut in altero suam infirmitatem considerans, ex se ipso colligat qualiter infirmitati alterius condescendat. Cum igitur quis ad diversorium pectoris sui sese [d] contulerit et animam suam omnium proximorum suorum animabus glutino caritatis uniri senserit, nullis invidiae stimulis agitatus, nullis indignationum aestibus inflammatus, nullis suspicionibus attritus nec edacis tristitiae morsibus turbulentus, ita quod ad quemdam tranquillissimae mentis suae sinum omnem proximum capiat et dulci affectu omnes complectatur et foveat et secum unum cor et unam animam omnes faciat, omnium cupiditatum tumultus [et]

---

[a] E *saniorum non.* [b] PE *quod.* [c] PE *et.* [d] E *se.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

vitiorum [a] strepitus conquiescit et intus anima cessat ab omnibus noxiis et iucundissimus pacis sabbatismus exurgit, et sic proximus diligitur cum velut [b] ex multis animabus velut *unum cor et una anima* [1] caritatis igne conflatur.

Diliges etiam *proximum tuum*, videlicet inimicum. Hoc enim a Domino praecipitur, et qui timet praeceptum in pace versabitur. *Diligite*, inquit Dominus [2], *inimicos vestros et benefacite eis qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos*. Quod quis implere poterit, si omne hominum genus uno mentis amore complectens nullius iniuria moveatur, sed sicut indulgentissimus aliquis pater erga carissimum sibi filium phrenesi laborantem, ita ille erga suos afficiatur inimicos, ut quo magis ab eis iniuriatur, eo profundioris caritatis affectu inferentibus sibi molestiam compatiatur. Et si implere volueris hoc praeceptum, non solum adversus eum qui iniuriam facit, iniuriam patiens, nihil iracundiae moveas, sed etiam [c] si tibi quispiam abstulerit et aliquid tibi fuerit subrelictum [d],

[a] E *vicinorum*. [b] E om. [c] A *et*. [d] E *relictum*.

[1] Act. 4, 32. [2] Luc. 6, 27-28.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

non solum non indigneris, sed illud [a] eidem ultroneus largiaris secundum consilium perfectionis; et licet sit barbarus, [ob] bonitatem tuam erubescet et a furore suo continuo resipiscet et ut dicit Chrysostomus [1]: « Hunc qui diripuerit quae tua sunt, qui laeserit, qui nocuerit, non solum donis largioribus cumula, sed dilige et amicum habeto et tota caritate constringe in tantum ut ores [b] pro ipso et preces pro anima eius fundas: quod est indicium summae et perfectae dilectionis ». Sed nos in tantum [c] longe sumus a diligendis inimicis ut nec amicis vicem caritatis et amoris reddamus, sed e contrario [d] odio habeamus, nos etiam diligentes: gerimus enim [e] intra nos insanabile genus offensae. Christus ita nos vult ignoscere [f] delinquentibus ut amemus eos et oremus pro ipsis. Nam [g] si tantummodo non laedas eum qui te laesit, avertas autem te ab eo nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore et augetur dolor in corde. Ergo necdum implevisti Christi mandatum. Non enim

---

[a] E *id.* [b] E om. [c] PE *interim* pro *i. t.* [d] E *aequo* pro *e. c.* [e] PA *autem,* A corr. marg. pro *contra.* [f] P *dignoscere.* [g] A corr. marg. pro *nos.*

---

[1] Cf. *In Matth.*, hom. 18, n. 4 (PG 57, 269).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

vis Deum ita tibi fieri propitium, ut non te quidem laedat, avertat se tamen abs te et peccatorum tuorum memoriam teneat et videre te nolit.

Ex praedicta dilectione sui et proximi proceditur ad divinam. Mens enim pacifica, hac gemina dilectione purgata, tanto devotius quanto securius in [a] divinitatis felices gestit [b] amplexus et nimio succensa desiderio velamen carnis excedit et ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitata dulcedine penitus absorbetur et facto silentio a rebus corporalibus, sensibilibus, mutabilibus, praevia divinae bonitatis gratia, pro modo [c] fragilitatis humanae, pro conditione viae, perspicacem in Deum figit aspectum, ubi inter suaves amplexus caritatis sabbatizat sabbatum sabbatorum, canit etiam canticum canticorum, quia *iustificati ex fide* [1], per dilectionem operante [2], pacem habemus [d] in Deum.

---

[a] A *ad.* [b] E add. *ruere.* [c] E *primo.* [d] E *habentes;* A *ad* pro *in.*

---

[1] Rom. 5, 1. [2] Cf. Gal. 5, 6.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput XXXVII.

Quod nutrita augetur.

Mansueti possidebunt [a] *terram et delectabuntur in multitudine pacis* [1]. Mansuetos manu suetos dicimus, patientes et mites qui alienas iniquitates tolerant et in patientia perseverant. Isti pacifice possident terras suas, quia *in patientia vestra,* dicit Dominus [2], *possidebitis animas vestras.* Vera autem patientia pacem relinquit et roborat, sicut ventis validis et impellentibus radix arboris firmius in terra se solidat.

Pacem igitur obtines per patientiam si profundam humilitatem teneas, si provocatus taceas, si tacens gaudeas, si iudicium humanum non timeas.

Profundam humilitatem teneas, timendo Deum [b], quia *corona sapientiae est timor Domini replens pacem et salutis fructum* [3]. Patientia quidem et tranquillitas vera sine profunda cordis humilitate nec acquiritur nec tenetur; sed si de humilitatis fonte descenderit, nullius rei extrin-

[a] E *haereditabunt.* [b] A *Dominum.*

[1] Ps. 36, 11. [2] Luc. 21, 19. [3] Eccli. 1, 22.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

secus patrocinio indigebit. Hanc teneamus per cordis affectum, non quadam falsa humiliatione verborum vel quadam inclinatione capitum: quod frequenter est humilitatis verae figmentum, et hoc habet humiliatio huiusmodi quod non se sustinet reprehendi. Cum enim quidam [1] ad Abbatem Piammonem talem humiliationem verbis et habitu praeferens advenisset et eum senex hortaretur ut oraret, ille suam indignitatem allegans ut nec vivere mereretur et de se multa indigna fateretur, monuit eum dictus [a] Pater ut non discurreret otiosus, sed in cella residens, cum esset robustus iuvenis, exerceret secundum regulam seniorum viriliter et humiliter suum opus et eligeret prius, secundum Apostolum [2], manibus operari quam aliena munificentia sustentari. Ad haec [b] ille tantam incurrit tristitiam ut nec vultu dissimulare valeret amaritudinem corde conceptam. Ad quem Pater: 'Quid est quod ad simplicem admonitionem tanta te video indignatione commotum ut neque [c] occultare possis impatientiae

[a] A corr. marg. pro *dicens*. [b] E *hoc*. [c] A *nec*.

[1] Cassian., *Coll.* 18, *De tribus generibus Monachorum*, c. 11 (PL 49, 1111). Reapse haec anecdota, a Piammone narrata, abbati Serapioni tribuitur. [2] Cf. 1 Cor. IV, 12.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

signum? cunctis te prius criminibus onerabas, sed forsitan ab ore meo laudis sententiam expectabas'. Illa est humilitas vera cordis quae non de humiliatione verborum procedit aut signo corporis, sed de intima affectione mentis, quae tunc evidentissimis patientiae fulget indiciis, cum quis non ipse de se crimina, ab aliis non credenda, iactaverit [a], sed ab alio sibimet irrogata contempserit et iniurias mansueta cordis aequanimitate toleraverit. Sed est falsus humilis qui quanto se gravius et enormius coram proximo vituperat, eo magis superficiem suae sanctitatis in omnem ventum ventilans et assistentibus venditans [b], pro mercede affectatae religionis pretium labiorum, laudis et humani favoris expectat, et ut vulgariter dicitur: Ventus defert quidquid exsudat.

Nunc patientiae verae, per praedicti fratris oppositum, alterius introducamus exemplum. Legimus [1] quod in Abbatis Pauli coenobio plus quam ducentis fratribus congregatis, qui [c] causa solemnitatis cuiusdam de aliis conflexere coenobiis,

---

[a] P *iectaverit*. [b] A *vendicans*. [c] A corr. marg. pro *in*.

---

[1] Cassian., *Coll.* 19, *De fine coenobitae*, c. 1 (PL 49, 1127).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

considentibus monachis in ordinibus [a] suis, cum quidam fratrum susceptum ferculum Paulo tardius intulisset, sub occasione istius tarditatis, dictus Abbas Paulus, qui in ministrantes sollicite discurrebat, exporrecta palma, fratrem percussit coram omnibus, ita ut longius auribus considentium resultaret sonus. Sed iuvenis haec tanta animi lenitate suscepit ut non tantum nullus fuerit ex ore eius impatientiae sermo prolapsus vel tenuissimum murmur tacita labiorum agitatione signatum, sed nec oris tranquillitas aut color quantumcumque mutatus. Hoc autem sanctus Pater non sine divino creditur fecisse consilio, ut cunctis qui aderant iuvenis patientia patefieret, et omnes qui intererant convivio, patientiae erudirentur et reficerentur exemplo.

Ut etiam pacem teneas provocatus et irritatus, taceas. Vide in passione Dominum tenentem silentium nec proferentem impatientiae verbum vel proferentem [b] signum [1], et sic *disciplina pacis nostrae super eum* [2]. Quando igitur aliquis nos provocat et ad iurgium vocat, silentium teneamus nec muti fieri erubescamus. Si taceas, si

[a] PE *cordibus.* [b] E *ferentem.*

[1] Cf. Matth. 26, 63; Marc. 14, 61. [2] Isai. 53, 5.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

dissimules, solet dicere conviciator: 'Quid taces? Responde, si audes. Si non audes, elinguem te feci; tacendo te vici'. Sed si taceas, ille plus prorumpitur et dum irrisum se [a] videt, non se victorem, sed se victum potius arbitratur. Si respondes, iniurias multiplicat et adicit, superiorem se credit, quia parem [b] invenit. Et dicetur, si taces: 'Ille convitiatus est, sed convitiantem iste contempsit'; si vero contumeliam referas, hoc dicetur: 'Ambo convitiati sunt, nemo absolvitur, uterque condemnatur'. Iusti autem est [c] dissimulare, non loqui, tenere suae conscientiae puritatem et pacem cum proximo nec reddere talionem.

Non enim laedi potes a proximo nisi prius laesus fueris a te ipso. Omne enim [d] quod in rebus est habet aliquid quo corrumpi possit et laedi. Ferrum rubigo laedit, lanam tinea, greges ovium lupus, vinum mutatio aceti, mel amaritudo corrumpit; nocet aerugo segetibus, grando vineae, locustae fructibus et erucae. Sed est [e] in nobis aliud, virtus scilicet, quae non laeditur aut corrumpitur sine nobis. Ad eam extrinseca non pertingit laesio, cum haec intrinsecus in [f] latibulo

---

[a] E om. [b] E *pacem*. [c] PE add. *non*. [d] A add. marg. [e] A *etiam*. [f] A corr. marg. pro *cum*.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

teneatur mentis. Non est haec in divitiis virtus: ne timeas paupertatem; non in sanitate corporis: noli timere languorem; non in existimatione hominis: ne appetas vanitatis honorem; non in libertate generis: ne timeas servitutem; non in vita corporis: ne timeas mortem Sicut enim virtus equi non consistit in argenteis frenis vel aureis nec in phaleris sericis, sed in velocitate cursus et fortitudine pedum et gressu debito et pectoris firmitate, ut in praeliis imperterritus [a] hostem petat vel in adversis velociter proprium possit exitio liberare sessorem: sic in homine virtus est non in rebus extrinsecis, sed in habitu mentis. Illa enim auferri possunt per violentiam vel iniuriam, sed mentis habitus, quem virtutem dicimus, auferri non potest a nobis nec in ea laedimur praeter [b] culpam nostram, etiam [c] quantumcumque machinetur diabolus per suam fallaciam. Nec [d] enim suis machinamentis [e] laedere Iob potuit, sed magis eum gloriosum effecit. Nec [f] enim damna facultatum nec calumniae nec opprobria nec exilia nec aegritudines et cruciatus nec ipsa mors laedunt homines, sed reddunt etiam per pa-

---

[a] A *interitus.* [b] E *nisi propter.* [c] E *et.* [d] E om. [e] E *machinis.* [f] A *neque.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tientiam clariores: bonum enim hominis in animi virtute consistit. Haec autem laeditur, cum spoliatur facultatibus vel opprobria sustinens verbum impium ex ore suo protulit. Laesus igitur est per suam impatientiam [a], non per alienam malitiam. Si [b] equum probare volumus, non phaleras, ut dictum est, attendimus, sed si membris, pedibus, ungulis validus sit inspicimus; nec approbamus [c] vineam propter diffusionem foliorum, sed propter foecunditatem fructuum et uvarum. Sic discutientes quae sit vera virtus hominis, interiora bona sectamur, non haeremus in extrinsecis. Tunc enim hominem proprie laedi dicimus, cum [d] in ipsa virtute fuerit laesus: ibi cognoscitur vera patientia. Vera [1], dixerim [e], non simulata, sicut [f] experimur in eis qui se patientes reputant, si videntes proximos esse commotos, quadam taciturnitate, gestu vel irrisorio motu subsannant et eos provocant signis quos debuerant mitigare verbis: non enim tantum Dominus considerat

---

[a] A corr. marg. pro *impacidam*. [b] A *sed si*. [c] A corr. marg. pro *approbans*. [d] E om. [e] E *diximus*. [f] E *sic*.

---

[1] Cf. Cassian., *Coll.* 16, *De amicitia*, c. 18 (PL 49, 1032-4).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sermonem, quantum hominis voluntatem; provocatur etiam aliquis [a] magis signo quam provocaretur verbo. Quid enim differt utrum gladio peremeris fratrem aut aliqua fraude compuleris eum ad mortem? Nonne reus est et ille qui proximum manu sua illaqueaverit, et qui laqueum praeparaverit aut [b] auferre noluerit cum potuerit? Ita tacere nihil prodest, si propter hoc nos tacemus ut quod agendum fuerat convitio, taciturnitate faciamus, assumentes quosdam gestus irrisorios, quibus frater, quem curari oportuit, vehementius in iracundiam inardescit; et quod deterius est videre, volunt tales laudari de patientia, quia nihil proferunt.

Ore tacens, etiam gaudeas provocatus, dissimulans animi virtute convitium, experiens spirituale gaudium. Sic enim *mulier fortis oblectat virum suum* [1]; sic *ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti* [c] *sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* [2]; sic prae abundantia devotionis minuitur vis doloris; sic Paulus inter medias inimicorum insidias caesus verberibus, affectus iniuriis, assurgebat in gra-

[a] E *animus*. [b] A *et*. [c] PE om.

[1] Eccli. 26, 2. [2] Act. 5. 41.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tiarum actiones et undique reportabat victorias triumphales; plus desiderabat pro Christo mortem quam alii quiescere post laborem; plus puniri pro Christo quam coronari sine Christo, quoniam amanti sincere Christum supplicia sunt dulcia et catena pro Christo plus complacet quam corona et libentius pro Christo recipit et sustinet passionem quam appetant alii pro labore mercedem. Hanc virtutem tenebat in manibus caelestis militiae signifer, protomartyr Stephanus [1], qui nec lapidum [a] formidavit ictus nec lapidantium manus, et sub tanta persecutionis amaritudine non amisit animus eius dulcedinem, sed exuberabant eius viscera pietate [b]. Ab inimicis premebatur [c] et pro inimicis Dominum precabatur et de caelis consolabatur; affligebatur ex illata saevitia, compatiebatur ex inolita misericordia, gratulabatur ex insperata gloria; videbat inferius unde pateretur, sentiebat interius unde compateretur [d], videbat superius unde iucundaretur; et ex eodem pectore procedebat pietas cum iucunditate et ex eodem vase manabat oleum

[a] E *lapidis.* [b] AE *pietatem.* [c] E om.
[d] A add. marg. *s. i. u. c.*

[1] Act. 7, 54-60.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cum melle et mirum in modum crescebat in dolore delectatio et ex passione compassio. Positis enim genibus magis miserebatur inimicis suis quam membris suis, et positis genibus orans pietatis affectum ostendit et effusum est oleum in tantum ut respersus est [a] ex odore unguenti adolescens, qui eminentius residebat et descendit unguentum *in oram vestimenti eius* [1] qui vestimenta servabat.

Sed vae nobis, qui sic inardescimus ex modicis causis ut videamur aspicientibus praetendere [b] rabiem insaniae vel furoris! Nonne [c] impatientia sive ira furor esse videtur et insania? Sui decoris oblita nec amicitiae memor est, et in id quod coeperit, pertinax et intenta. Et si placet, habitus iratorum intuere, videbis eos ut insanos furere. Audax et minax est talium vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color mutatus, crebra et ex intimis tracta suspiria. Micant oculi, multus in ore rubor, sanguine ab imis praecordiis aestuante labia quatiuntur, dentes comprimuntur, capilli subriguntur,

[a] PE om. [b] PE *intendere.* [c] E *anne;* A *in patientia* pro *impatientia.*

[1] Ps. 132, 2.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

spiritus coactus et stridens articulorum se torquentium sonus, parum explanatis vocibus sermo praeruptus [a] et complosae saepius manus et pulsata pedibus humus, foeda visu et horrenda [b] facies depravantium se et intumescentium et irascentium, ut nescias utrum magis detestabile sit hoc vitium an deforme. Quid amplius? Linquit decor omnis iratos. Qualem putamus intus esse animum [c], cuius imago extra tam foeda est? Utinam irati spectaculum inspicerent! Credo quod suam turpitudinem abhorrerent, et quoniam ab interioribus tempestas egreditur, turpitudinem ampliorem suae mentis agnoscerent nec pacem aut serenitatem vel in se vel in aliis perturbarent.

Quartum est ut iudicium humanum non timeas. Unde Danieli dicit angelus [1]: *Noli timere, vir desideriorum; pax tibi, confortare et esto robustus.* Si iudicia sequamur hominum, saepe turbabimur: modo boni, modo mali dicemur, modo quasi [d] magni laudabimur, modo quasi parvi vituperabimur. Si coeperimus a via pereuntium lubrica declinare, linguis carpimur; si alios re-

[a] E *perruptus.* [b] E *horrida.* [c] E *animam.* [d] E *qui*, item infra.

[1] Dan. 10, 19.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

vocaverimus ab errore vel si voluerimus cum pereuntibus deperire, celeberrima via communis et publica nos decipiet, et arguemur, nisi pecorum ritu sequamur antecedentium greges, ut vivamus ad aliorum similitudinem nec vitam nostram componemus ad rationem et virtutem. Propter hoc tanta est coacervatio reproborum velut aliorum super alios ruentium, quod in magna strage hominum evenit, cum se ipsum populus premit, cadunt indifferenter, sed nemo ita corruit aut [a] exorbitat, ut non alium in se attrahat et qui primi procedunt et cadunt, sequentibus periculo sunt: et sic videmus in moribus humanis quod alienis perimus exemplis. Sanabimur si separemur a talibus, non timentes eorum iudicium qui praeferunt quod commune est et publicum. Nocet applicari antecedentibus; errorem mali sui conatur defendere populus; ubi pars maior, ibi frequenter deterior; non placent pluribus [b] meliora; pendemus ex alienis iudiciis et quod multos habet laudatores et appetitores, id videtur esse optimum nobis.

---

[a] E om. [b] E *prolibus.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput XXVIII.

Quod aucta perficitur.

Quemadmodum bonum pacis per patientiam in persecutione nutrimentum accipit, ita gratia contemplationis eamdem perficit [a]. Sed duplex est [b] perfectio: prima in via, secunda in patria et ad utramque contemplatio est necessaria.

Pacem habebat Simeon quantum ad praesentis temporis statum. Erat enim homo sanctus et timoratus, habens in se ipso [c] Spiritum Sanctum, sed desiderans plenam pacem patriae. *Nunc dimittis*, inquit, *servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in* [d] *pace* [1]. Rursum, *acceperat a Spiritu Sancto* ut *videret Christum* [2] in carne mortalem, sed afficiebatur ut videret eum secundum manifestam gloriae visionem. Ibi enim perfectio pacis [e] plenissime possidetur, cum mens humana non caecatur [f] ignorantia nec carnis impugnatione concutitur. In praesenti vero non

a P *perspicit.* *b* P om., E *haec.* *c* P *ipsum.* *d* E om. *e* A corr. marg. pro *panis.* *f* E *occaecatur.*

[1] Luc. 2, 29. [2] Luc. 2, 26.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sic plena pax agitur, sed interim dum spiritum nostrum Deo subicimus et spiritui carnem, et sic erigimur ad Creatoris contemplationem [a], perfectae pacis secundum praesentem statum experimur dulcedinem. Nam anima contemplativa in Deo pacifice requiescit et in ea Deus, quia *in pace factus est locus eius et in Sion,* quod speculam sonat, *habitatio eius* [1].

Nequit enim mens in contemplatione speculari divina nisi tranquilla sit a sollicitudinibus et terrenis sequestrata. Unde Moyses vidit Dominum in deserto, quem non viderat in Aegypto [2]; audivit vocem eius in monte [3], ubi edoctus [b] est, non in valle. Haec est igitur contemplationis gratia, quae mentem humanam liberat et expurgat, liberatam elevat, elevatam illuminat, illuminatam [c] ad admirationem vocat vel potius alienat, liberat a terrenis contagiis, elevat in supernis, illuminat divinis, provocat et in admirationem excitat visionibus et revelationibus insolitis. Liberat ergo contemplatio mentem, et, sicut dictum est, spiritualem eidem tribuit liber-

---

[a] E add. *et.* [b] E *doctus.* [c] PE om.

---

[1] Ps. 75, 2. [2] Exod. 3, 1 ss. [3] Exod. 19, 3 ss.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

tatem, quoniam *in pace factus est locus eius et in Sion habitatio eius* [1].

Pax igitur praeponitur quasi [a] quaedam praeparatio contemplationis. Nam turbatus animus, vel ira vel cura vel carnis concupiscentiis vel terrenis desideriis, non accedit ad illum splendorem inaccessibilis luminis, qui non attingitur nisi [b] a devotis mentibus et serenis. Ideo [c] per noctes in lectulo quaerit dilecta dilectum, habens ab occupationibus animum feriatum [d], habes enim in lectulo secretum cubiculum et in nocte silentium [2]. Et quae magis [e] ad contemplationem commoditas quam lectuli et noctis opportunitas? Nisi enim quieta mente proculdubio pacificus sponsus noster non quaeritur; nec inquietum aliquid nec coinquinatum [f] ad negotium amoris et pacis admittitur. In lectulo et secretae [g] mentis cubiculo potest dilectus dulcius quaeri, liberius inveniri, tutius et diutius retineri, et ipso mens uberius frui, quia quanto nostra mens erit ab

---

a E *proponitur quia est* pro *p. q.* *b* P *nihil.*
c E *immo.* *d* A corr. marg. pro *seminatum.*
e E *maior.* *f* A *conquinatum.* *g* E *secreto.*

---

1 Ps. 75, 2. 2 Cf. Cant. 3, 1.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

occupationibus [a] liberior, tanto erit in amore dilecti propensior: *In lectulo,* inquit, etc.

Angustus est iste lectulus, immo non lecti, sed lectuli diminuto censetur vocabulo, eo quod non possit esse prolixior contemplationis dormitio. *In lectulo,* inquit, *et per noctes quaesivi* [1], quia sicut diei et noctis certa [b] vicissitudo volvitur, sic contemplativa mens, nunc in exercitio pii operis, nunc in otio contemplationis sacrae versatur; nec dissolvitur in requie nec infidelis invenitur in opere, sed Deo vacans et Deo laborans, Deo moriens, Deo vivens, in omnibus agit officium caritatis. Caritas enim compassionis ad proximum nos ad culmen altius eriget contemplationis; unde scriptum est [2]: *Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, et clamabo ad Deum* [c] *Altissimum in diebus meis* [d]. *Stolam pacis* quodammodo nos exuimus et *saccum obsecrationis* assumimus et clamamus, contemplationis dulcedinem omittentes, fratrum necessitatibus compatientes, praedicationi etiam vacantes, et in conspectu Domini precibus et amaris gemitibus insistentes.

---

[a] A *occupatione.* [b] E *recta.* [c] E om. [d] E *nubis.*

---

[1] Ibid. [2] Baruch 4, 20.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Interrumpenda est enim contemplatio et [a] praedicationis et compassionis officio; purgata mens et libera sursum erigitur [b], quia iam curis alleviata terrenis, quasi pennis assumptis supra [c] se ipsam levatur.

Fit autem haec elevatio ex considerato vilissimo rei temporalis pretio et ferventissimo mentis desiderio. Considerata enim vilitas creaturae facit animam sicut creaturam nobilem a re tamquam vilissima resilire: *Ego,* inquit Nabuchodonosor, *levavi oculos meos usque ad caelum; et sensus meus redditus est mihi, et glorificavi Dominum, quia potestas Dei potestas aeterna; et omnes* [d] *habitatores terrae apud Deum in nihilum reputati sunt* [1]. Sensum recipit qui oculos levat, quia rectum rationis iudicium ostendit qui aeterna cogitat. Dum enim vehementer superius intendit, inferiora respicit et despicit, nihil esse reputans quidquid transitorium et terrenum amavit. Verecundetur ergo nobilis substantia pondere [e] corporis, in caelum levata, mente vero ad haec terrena corpora penitus inclinata. *Glorificavi,* in-

---

[a] E *ut.* [b] E *erigatur.* [c] E *super.* [d] A om. [e] A *positione.*

---

1 Dan. 4, 31-32.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

quit, *Deum:* quia quanto magis se mens a terrenis elevat, magis Deum glorificat, et ad lumen accedens magis illuminatur ut cognoscat et haec transitoria vilipendat, unde quod sequitur: *habitatores terrae,* quasi nihilum reputat. Cuius enim oculus elevaretur in caelum, videret totam terram esse modicum quasi centrum, quare [a] et temporalia omnia, quae minora sunt terra, reputaret ut nihilum. Quid enim minus est centro nisi [b] nihilum? Elevemur igitur in Deum pro viribus; et [c] velut avis in altum se elevans, excutere plumas proprii corporis et inertiae [d] nostrae debemus, et [e] ad devotam gratiarum actionem ex recordatione munerum nobis divinitus impensorum nos viriliter instigemus et in laudes divinas ex affectu intimo organum nostrum spirituale laxemus, ut in cordis vasculum divina dulcedo nobis per Dei gratiam effundatur.

Nunc de ferventissimo mentis desiderio videamus quomodo per ipsum noster spiritus elevatur. Dicit enim Ieremias [1]: *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in caelo, et elevat nebulas ab*

---

[a] E *quia centrum quin* pro *q. c. q.* [b] E *nihil et.* [c] E om. [d] E *iustitiae.* [e] E *ut.*

---

[1] Ier. 10, 13.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

extremitatibus terrae; fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis. Dominus [a] enim animae occulta inspiratione loquitur, et ipsa ex verbo eius inflammata caelestis desiderii igne, in modum aquae prius congelatae vel cerae liquescit, et in lacrimarum fluentium devotionem solvitur, et in lacrimas resoluta secundum similitudinem vaporis elevatur, et nebula subtilis, quae serenitatis indicativa [b] est, generatur, quia flamma amoris supra modum humanum excrescit, quae, purificata [c] rubigine, mentis serenitatem ostendit. Sicut enim vapor elevatur a calore solis, ita mens a fervore amoris, qui ipsam supra se ipsam rapit et terrenitatis impuritatem [d] excludit. Sed quia simul sunt in illa elevatione mentis gemitus ferventes, lacrimae stillantes et revelationes crebro intermicantes, ideo additur: *Fulgura in pluviam fecit.* Fulgur enim inflammat et intermicat, pluvia vero stillat. Et additur: *Educit ventum de thesauris suis.* Sicut enim ventus in cavernis terrae, velut in thesauris inclusus, huc et [e] illuc iactatur, plurimum terram concutit donec educatur, et tunc velut ab infe-

---

[a] E *domus.* [b] E *indicium.* [c] E *pacificata.*
[d] E *terrenitatem impuritatis* pro *t. i.* [e] E om.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

riori repulsus ad suprema nititur: ita sese inclusam mens devota non tolerat [a], donec suae libertatis aemula supra se ipsam excedat; sed per inferiorum contemptum ab infimis repellitur, per supernorum [b] desiderium ad superiora trahitur, et quasi [c] terra concussa, sui videlicet ipsius oblita, impetu Spiritus impellente, in eum excedit et transit quem [d] ferventer diligit et ita quiescit.

Purgata vero mens et, ut iam dictum est, elevata, verae [e] lucis illuminationem assequitur. Quia tamen a carne deorsum trahitur, eo quod de corruptione concupiscentiae, quae [f] nunquam hic totaliter tollitur, velut quaedam evaporationes insurgunt, quae animam inclinare conantur, et quia invalida mentis acies in tam excellenti luce non figitur, intermicante lucis radio illuminatur et reverberatur. Lux enim inaccessibilis, quam Deus inhabitat [1], nimia est animae; et tamen quidquid certitudinaliter [g] videt, per eam videt. Sicut infirmus oculus, quod videt per lu-

[a] E *extollit;* P *quae* pro *non.* [b] E *superiorum.* [c] E *quia.* [d] E *quia.* [e] E *vitae.* [f] E *qui.* [g] E *certitudine;* A *quisquis* pro *quidquid.*

[1] Cf. I Tim. 6, 16.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

cem solis aspicit et tamen lucem solis improportionabiliter excedentem [a] animae capacitatem aspicere nequit. *In lumine tuo,* inquit Propheta [1], *Domine, videbimus lumen,* quia [b] sicut de sole exit unde sol videri possit nec tamen solem [c] deserit, sed in illo manet quod de illo exiens illum ostendit, ita manens in Deo lux, quae exit a Deo, mentem irradiat ut primum ipsam coruscationem [d] lucis, sine qua non videret, videat, et in ea quidquid videt veritatis, videat.

Veritas enim praesidet [e] omnibus eam [f] consulentibus et respondet menti interius. Interius [g] est in anima nostra, sed nos aliquando sumus deforis, et ideo non semper advertimus neque suscipimus [h] susurrum illius vocis nec radium lucis superlucentis in nobis. Sicut enim auris exterior audit [i] verbum extrinsecum et videt oculus lucem solis, sic auris interior verbum aeternum [k] et mentis oculus coruscationem aeterni [l]

---

[a] P *adcedentem;* E *proportionaliter accedentem* pro *i. e.* [b] PE *quare.* [c] E *sol eum* pro *s.* [d] E *ipsum coruscatione* pro *i. c.* [e] PE *prius residet.* [f] A corr. marg. pro *tam.* [g] A *intus.* [h] E *suspicimus.* [i] E *vidit.* [k] E *externum.* [l] E *coruscatione externi* pro *c. a.*

---

1 Ps. 35, 9.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

luminis, quae latet in cordis intimo et vere iudicat, quando consulitur, de rebus auditis; sed mens suis assueta tenebris, dum claritatem [a] internam contemplari nititur, quasi trementibus et palpitantibus oculis vim insoliti fulgoris non sustinens, ipsis primis aspectus radiis reverberatur, et apparet ei quasi [b] tremulum lumen, et moveri videtur ipsum lumen, cum potius illius oculi tenebrae solum moveantur et fugiant praesentiam luminis coruscantis; et videtur motus hic esse luminis, cum sit tenebrarum fugientium lumen; et post motum, roborato magis oculo, lumen, quod stantibus tenebris videri non poterat, procedit ad manifestationem. Mens igitur tremula quasi tremulum recipit radium, serenata vero et pacifica pacificum et serenum. Si enim vas aquae solis radio supponatur, emittit aqua splendorem luminis superius [c]; si tremula sit aqua in vase, tremulus erit radius in pariete, si turbida turbidus, si serena quietus. Aqua est cogitatio humana, semper [d] fluens ad inferiora nisi moderamine districtionis, velut in vasculo, sit cohibita. Aquae [e] ergo collectio est evagati cordis revo-

---

[a] E *caritatem.* [b] E *quia.* [c] E *serenius.* [d] E *super.* [e] E *quae.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

catio [a]; sed cum aqua in se radium superni luminis accipit, fulgorem luminis ad superiora emittit et illic radium genitum ex se levat [b], quo per se ascendere non valebat; et radio a se producto aqua suam similitudinem imprimit, dum ipsa tremula exiens in vase tremulum radium format in pariete: sic in anima, quando se radius divinus infundit, anima lumen recipit et eidem quodammodo suam similitudinem imprimit, et cor suum sursum elevat ubi nulla ingenii perspicacia, nulla artis industria ascendere valebat. Et quanto divini luminis infusio mentem profundius penetrat, tanto ipsam altius elevat; et quanto plenius ad intimam pacem et tranquillitatem animus se composuerit, tanto firmius summae luci per contemplationem inhaerebit. Sic enim anima quiescit in pace: *Sedet populus in pulcritudine pacis* [1], in requie opulenta et in tabernaculis fiduciae. Illuminata iam anima pro puritatis suae modulo, ex eis quae contemplatur, plurimum admiratur. Videt enim aliquid [c] praeter spem, et supra humanam aestimationem et inde surgit [d] in admirationem.

---

[a] E *evocatio.* [b] E *elevat.* [c] E *aliud.* [d] A *consurgit.*

---

[1] Isai. 32, 18.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Quis enim ignoret quin [a] novitas insolitae visionis causa sit admirationis? In illo siquidem statu incipit anima speculari quod vix alias posset credi; sequitur et dulcedo quae sentiri potest et dici non potest. Et ideo in admirationem adducitur, quoniam oculo perspicacis intelligentiae divini luminis infusione prospicitur et silenter in aure cordis auditur quod sermone non exprimitur: et ideo non est mirum si animus admiratur subitam lucem et affectus inusitatam dulcedinem. Et hoc amplius admirandum, quoniam effugit illud prius quam teneri [b] queat et prius quam apprehendi possit elabitur, tantum cordi offerens [c], et hoc si purum sit, quantum humanos oculos ictus coruscationis cito praetereuntis illuminat; et tamen, quantumcumque prospici potest ex eius lumine, ad intuendum nos provocat et invitat. Quod enim penitus sentiri non potest, nec appetitur nec inquiritur; quod autem aliquantulum sentiri potest de hac luce vel dulcedine, admirationi est; et quod in admiratione est, desiderari copiosius potest; et cum desideratur, desiderantes purificat, purificatos autem Deo

---

[a] PE *quod usu.* [b] A corr. marg. pro *tamen.*
[c] E *cor afficit* pro *c. o.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

similes facit, et cum ei [a] similes fecerit, velut proprios et domesticos reddit eos in consiliis divinis et colloquiis divinis participes. Haec est illa species, cui contemplandae suspirat quisquis affectat Deum diligere. Ibi nostrum esse non moritur, intellectus non errat, amor non offenditur. Semper [b] enim quaeritur ut dulcius inveniatur; dulcissime invenitur ut iterum dulciter quaeratur.

Cor enim mundum exigit haec contemplatio, quia nulla corporis similitudine dormienti, nulla corporea specie vigilanti, nulla rationis indagine disputanti, nisi mundo corde, affectu ferventi et humili poterit apprehendi. Hoc autem solum est quod ex eo [c] comprehendimus, quia [d] comprehendi non possit. De hac admiratione legimus in Canticis [1]: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* Aurora est lux nova tenebris permixta. Et [e] unde haec admiratio nisi quia incipit videri quod vix posset credi? Aurora paulatim elevatur, elevata dilatatur, dilatata clarificatur, clarificando deficit, non ut claritas non sit, sed ut aurora non sit, quia in clarum diem

[a] E *eos.* [b] E *spiritus.* [c] A *Deo.* [d] E *quod.* [e] A om.

[1] Cant. 6, 9.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

desinit. Sic mens divino lumine irradiata, dum in contemplatione caelestium suspenditur et admiratione distenditur, quanto ad mirabiliora [a] ducitur, tanto copiosius dilatatur. Et cum ab infimis sit remotior [b], inde redditur in se ipsa purior et subtilior.

Sed in ista sublevatione dum semper ad altiora crescit, dum diu crescendo per desiderium metas capacitatis humanae transcendit, tota a se deficit, et in quemdam supermundanum affectum mutata per alienationem transit; et sic lumine irradiata et in summae pulcritudinis admiratione suspensa, supra [c] se ducitur, ubi tam vehementi stupore concutitur, ut a statu suo quasi funditus evertatur, et cum [d] in se revertitur, tanto magis semetipsam despicit, quanto magis divinam pulcritudinem in illa luce perpendit. Hic Beniamin in thalamo pacifice requiescit, quia cum coeperit [e] animus per puram intelligentiam semetipsum excedere et illam incorporeae [f] lucis claritatem intrare, et ex iis quae in intimis videt quemdam intimae suavitatis saporem trahere, et ex eo intelligentiam suam con-

---

[a] E *admirabilior* pro *a. m.* [b] A corr. marg. pro *remorior.* [c] E *super.* [d] E *si tamen.* [e] E *concepit.* [f] E *in corpore.*

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

dire et in sapientiam vertere, in tantum in hoc mentis excessu pax illa, quae neque [a] turbatur neque formidatur, invenitur atque obtinetur, ut fiat [b] *silentium in caelo hora quasi dimidia* [1], ita ut contemplantis animus nulla alternantium cogitationum tumultuatione turbetur, nihil omnino inveniens vel quod per desiderium petat vel quod per fastidium arguat vel per odium accuset [c], et sic ad summam pacem componitur mens, quae intra contemplationis tranquillitatem tota colligitur et concluditur. Ibi enim, secundum Prophetam [2], *ex sabbato sabbatum, pax super pacem;* et habet Salomon, verus pacificus, pacem per circuitum.

---

[a] E *nec.* [b] PE *faciat.* [c] A corr. marg. *accumulet.*

---

[1] Apoc. 8, 1. [2] Isai. 66, 23.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput XXIX.

Quod perfecta pace fruitur.

Fructus spiritus pax, gaudium, caritas et cetera [a] quae sequuntur [1]. Inter fructus Spiritus pax merito collocatur, quoniam pace quaesita, inventa, nutrita, roborata, perfecta, mens mirabili suavitate perfruitur. Nec putemus pacem hanc illam esse vulgarem, si cum proximo non iurgamur, sed eam [b] haberi cum tranquilla mens nullis passionibus perturbatur, sed dulciter quietatur.

Fruimur enim cognitis, in quibus voluntas delicata quiescit [c]. Sed, ut large sumamus fructus vocabulum, distinguimus fruitionem vel fructum in temporalem scilicet et aeternum. Temporalis est quo invicem frui possumus, sicut Paulus fruitur Philemone [2]; aeternus autem quo fruemur in patria cum angelis in illa [d] beatissima civitate.

Integratur autem ex tribus ipsa fruitio. Haec autem sunt fruentis et fruibilis unio et illi unioni

---

[a] E om. *e. c.* [b] E *illam.* [c] A *conquiescit.* [d] PE *et in* pro *i. i.*.

---

[1] Gal. 5, 22. [2] Ad Philem. 20.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

superaddita delectatio et delectationi superaddita quietatio, quae licet in perfecto statu sit in patria [a], tamen large sumpto vocabulo reperitur in via. Fruitur enim Paulus, ut dictum est, Philemone, sed *in Domino,* hoc est in spiritus iucunditate, non in carnis voluptate vel saeculi vanitate. Magna enim delectatio et magnum est solatium nobis habere familiarem amicum, quem affectu diligamus intimo, in quo noster spiritus requiescat et cui animus se impendat, qui nobiscum tristetur in anxiis, laetetur in prosperis, quaerat in dubiis, quem [b] in mentis introducamus secretarium, cui sic [c] in dulcedine pacis et brachiis caritatis nostrum applicemus animum, ut quasi de duobus affectione dulcissima fiat unum. Sic ad talem secundum regulam caritatis affici, nonne dicitur quodammodo frui et in pace versari? Nam *quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et super Israel Dei* [1]. Non sic fruuntur amicis qui fruuntur in vanis ludicris, in saeculi pompis, [in] mundi spectaculis, in studio vanitatis et gaudio falsitatis [d]. Nec etiam

[a] E *prima.* [b] E *quid.* [c] E *scilicet.* [d] E *felicitatis.*

[1] Galat. 6, 16.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

sic fruuntur sibi invicem blandientes, invicem consentientes, qui dum alterutram caverint offensionem, mutuam incurrunt perniciem. Sic ergo proximo fruimur in Deo vel Deo in proximo. Si nos delectat mutua verborum collatio, sit [a] sermo de moribus, de Scripturis, de gaudiis caelestibus, de miseriis sempiternis: aut [b] si animum nimis extensum ad quaedam iucunda et inferiora laxemus, verba nostra sint plena honestatis, vacua levitatis, et si careant nimio pondere, non careant aedificatione. Fruamur invicem [c] in sanctificatione, *ut sciat unusquisque vas suum*, id est corpus et animam, *in honore, non in passione desiderii possidere* [1]. Ex hac fruitione proximi devenimus in fruitionem Dei.

Dulcedinem enim Dei in hac peregrinatione non ad satietatem sumentes esurimus, ut in futuro plenissime saturemur. Rapit tamen omnem animam rationalem [d] sui desiderio tanto ardentiorem quanto mundiorem et tanto mundiorem quanto a carnalibus morientem per amorem et devotionem. Quid enim est aliud [e] devotio quam

[a] E *si*. [b] E om. [c] A corr. marg. pro *unitatem*. [d] A corr. marg. pro *rationem*. [e] E om.

[1] I Thes. 4, 4.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

fervida mentis in Deum dilectio, per quam [a] divina dulcedo hic rapitur, in contemplatione praegustatur et cito amittitur, sed tantum in patria perficietur? Hic enim odorem bonorum patriae, non [b] ipsa bona habere possumus, sicut [c] beatus Evangelista [1] dicebat, qui talium odorem praelibaverat: « Odor tuus, Domine, in me concupiscentias suscitavit aeternas ». Quantalibet [d] enim sensibilis delectatio, quae sentitur per sensus corporeos animae in experientia dulcedinis creaturae, si [e] comparetur ad eum, non est digna commemoratione. Dilaniatur enim mens cogitationibus, affectionibus et vanis desideriis, dum inhaeret et fruitur creaturis. Non igitur anima perfecta delectationem, quam quaerit, et fruitionem in aliqua reperiet creatura. Transit ergo [f] sensus et sensibilia; transit [g] memoriam sensibilem et similitudines in ea relictas ex apprehensione sensibilium, quae satis inquietant animum; transit et mentis affectiones, donec eum inveniat et eo fruatur in quo solo est requies, quia oblivisci facit omnes angustias et dolores. Et cum plena

[a] E *quae.* [b] E *erga.* [c] E *sic.* [d] E *quae talis.* [e] A *sed.* [f] A *igitur.* [g] E om.

[1] Videlicet S. Ioannes; cf. Pseudo-Melito, *De actibus Ioan. Apost.* (PG 5, 1250).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

fuerit ad Deum [a] adhaesitio, vel verius [b] inhaesitio et perfectius amor, tunc proculdubio cessabit labor et dolor et secundum modum praesentis adhaesitionis augetur in nobis vel diminuitur vis doloris. Iis ergo transcensis quae dicta sunt, revertitur animus in se et praelibat dulcedinem patriae. Unde beatus Augustinus, in [c] libro X *Confessionum*, dicit [1]: « In omnibus quae percurro consulens te, Domine, non invenio tutum locum animae meae nisi in te; quo colligantur sparsa mea, ne [d] a te quidquam recedat ex me: et aliquando intromittis me in effectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quae si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit. Sed recido [e] aerumnosis ponderibus et resorbeor solitis ».

In illo autem dulcedinis statu, coruscante lumine superius, sed tremulo et reverberato oculo inferius, mens incipit et displicere sibi et placere incipiunt cuncta quae a Deo facta sunt vel permissa, ex quibus in laudes et praeconium assurgitur Creatori. Omnis enim anima morbo laborat intrin-

[a] E *Dominum*. [b] A corr. marg. pro *verus*. [c] E om. [d] E *nec*. [e] E add. *in haec*.

[1] Cap. 40, n. 65 (PL 32, 807).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

secus et infirmitati subiacet, cui aliquid quod condidit Deus, displicet. Sicut enim oculis sanis [a] dulcis et amicabilis [b] est lux corporea, quae tamen est caligantibus et lippientibus aut caecutientibus odiosa, sic Dei iustitia placet bonis, displicet malis. Ergo necdum mentis acie satis valida dulcedinem, qua frui desiderat, plenius obtinet, sed tamen aliqualiter experitur et prius olfacit quam epuletur. Haec sunt primitiae spiritus, paradisi deliciae, quas fruendo praesentiunt qui Deo totaliter [c] acquiescunt et in Spiritum excedunt. Unde beatus Iob [1]: *Acquiesce et habeto pacem, et per haec habebis fructus optimos*. Haec est extasis sive raptus, cum intentio arripitur a corporeis sensibus et animus alienatur. Consideratione aeternae patriae, mens divina aspiratione tangitur, tacta movetur et derelictis inferioribus circa caelestia delectatur. Postquam enim supernae [d] lucis radios raptim [e] contemplando contigit, in admirationem surgit et pacifice requiescit. Ibi enim *Beniamin adolescentulus in mentis* alienatus *excessu* [2], ad quem

[a] E *satis*. [b] E *amica*. [c] E *per omnia*.
[d] E *supremae*. [e] E *raptum*.

[1] Iob 22, 21. [2] Ps. 67, 28.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

ut frequentius ista concurrunt: fervor exultationis, splendor revelationis, stupor admirationis, dulcor exultationis, de quibus non est dicendum [a] per singula nec exigit ad praesens materia. Et haec satis liquide [b] colliguntur ex libro venerabilis et omni praeconio digni Richardi de Sancto Victore, quem intitulavit *De arca mystica* [c] [1].

Sed tamen unum in fine proponemus exemplum propter eos qui credunt inefficacem aut impossibilem huiusmodi extasim sive raptum. Recitat piae memoriae Rievallis abbas, venerabilis Aelredus, in [d] tractatu suo quem fecit, *De oneribus* [2], de quadam sanctimoniali, quae cum omnes carnales affectus et amorem mundi et proprii corporis sollicitudinem exclusisset, dum in oratione persisteret, ineffabili luce perfusa, rapitur super se, et in excessu persistens [e] diutius a sororibus excitata, post multas pulsationes [f] tandem revertitur ad se, et ab eis rogata plurimum, sororibus modum excessus exposuit, et easdem aemulantes assequi gratiam istam dociles

[a] E *dictum*. [b] A om. [c] A add. marg. [d] A om., PA *Ailredus*. [e] PE *existens*. [f] A *impulsiones*.

[1] Praesertim lib. IV et V (PL 150, 135, 167). [2] *Sermo* 3 (PL 195, 370-1).

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

reddidit. Quae [a] se a mundanis curis et sollicitudinibus abstrahentes, lacrimis et orationibus continuis incumbentes, eamdem gratiam sunt sortitae, passim et crebro rapiebantur, etiam invitae. Erat ibi [b] virgo discreta, quae phantasticis deputabat illusionibus haec omnia. 'Cur', inquit, 'non rapior sicut [c] aliae?' 'Quia virtutem', inquiunt, 'quam non habes, non diligis in aliis nec nobis vis fidem adhibere'. Et illa: 'Rogate', inquit, 'Deum ut, si ex Deo est [d], contingat etiam mihi'. Et illae [e]: 'Ad hoc obtinendum te oportet [f] cunctis affectibus renuntiare mortalium et circa solius Dei memoriam occupari'. 'Ergone', ait illa, 'pro amicis meis et benefactoribus non orabo [g]?' 'Omnes', inquiunt, 'Deo committas [h] et quasi profectura de mundo creaturis omnibus valedicas'. 'Nolo', inquit, 'ut sic anima mea rapiatur a corpore, ut amicorum meorum [i] memoria deleatur a mente, sed hoc solum, utrum a Deo sint tales excessus, sufficit mihi scire'. Die autem Parasceve subita luce perfunditur et ad altiora sustollitur, sed radiantem in se lucem inaccessibilem oculo infir-

---

[a] E *reddit qua* pro *r. q.* [b] E *enim.* [c] A add. *et.* [d] E om. [e] E *illis.* [f] E add. *omnino.* [g] PE *rogabo.* [h] E *commendes.* [i] E om.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

miori non ferens, ad Dominicae passionis revocari se intuitum postulavit; videt Iesum in cruce pendentem, confixum [a] clavis et lancea, sanguinem per quinque [b] vulnera profluentem, qui eam dulciter intuetur. Illa vero in lacrimas resoluta et in se tandem reversa sororibus fidem adhibet et a dubietate sanatur.

Unum est quod in fine restat de quo divisio quae praecessit, nos aliquid dicere et tractatum finire compellit. Est enim mala pax, quam magis debemus subterfugere quam amplecti, de qua Dominus ait [1]: *Putatis quia* [c] *veni pacem dare in terram, non dico vobis, sed separationem.* Pacem enim aliquando simulamus, sed eam sine dubio non habemus. Dicunt enim quandoque lingua et habitus: pax, pax; sed si requiratur, animus respondet quod non sit pax. Caro et mundus et [d] diabolus nobiscum [e] confoederari desiderant, sed astute decipiunt si quos inveniunt qui consentiant. Dum enim nos osculantur, gladium eximunt quo nos dilanient et trucident [f].

---

[a] PE *fixum.* [b] E om. [c] E *quod.* [d] A *etiam.* [e] E *nobis.* [f] A *dilaniant et trucidant* pro *d. e. t.*

---

[1] Luc. 12, 51.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Cum igitur haec, quae dicta sunt, ita [a] se habeant, pacis dulcedinem amplectamur [b], et cum omni puritate et sinceritate [c] mentis in concordiam redeamus, imitantes illum qui pacificavit omnia per sanguinem suum, qui vere pax est et *fecit utraque unum* [1]. *Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda nostra et intelligentias nostras in Christo Iesu Domino nostro* [2], cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen [d].

EXPLICIT TRACTATUS FRATRIS GUIBERTI 'DE PACE'.

---

a E *in.* *b* E *amplectimini.* *c* P *sanctitate.* *d* P *Explicit expliciat, ludere scriptor eat.*

---

1 Col. 1, 20. 2 Eph. 2, 14; Phil. 4. 7.



Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Digitized by Google

Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

INDEX

PRAEFATIO . . . . . *Pag.* VII
De vita et scriptis Fr. Gilberti de Tornaco.
§ I. De vita. VII
§ II. De scriptis Fr. Gilberti in genere . . . XVI
§ III. De ipsius scriptis asceticis in speciali . XXVIII
§ IV. Tractatus De Pace XXXVI

Epistola dedicatoria. 1
Caput I. De origine pacis. 7
Caput II. De distinctione pacis in divinam etc. Primo de pace in se 11
Caput III. De divina pace quantum ad effectum . . 18
Caput IV. De pace angelica qua fruuntur angeli in caelis 21
Caput V. De casu angelorum, qui non servaverunt pacem in caelo nec habent eam in terra 28
Caput VI. Quomodo angeli, qui ceciderunt, nos impugnant et pacem nostram turbant 33
Caput VII. Quomodo se habent angeli in caelo pacifice et quid exercent. 36
Caput VIII. De ordinibus angelorum et suprema eorum hierarchia 41
Caput IX. De secunda et tertia hierarchia 53

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

Caput X. Quomodo conformamur angelis in suis officiis et in aemulatione pacis 59
Caput XI. Quod pax angelica nostrae pacis est instructiva 65
Caput XII. Quod motus angelorum non repugnat paci et quieti ipsorum 70
Caput XIII. De pace mundana in genere. 78
Caput XIV. De eadem pace speciatim 83
Caput XV. De pace humana. Quod eam spiritus rationalis appetat 85
Caput XVI. Quod appetitam quaerit 90
Caput XVII. Quod quaesitam non invenit, quia subiacet vitiis 95
Caput XVIII. Quomodo possumus cognoscere quod radix peccati vivit in nobis. Hoc ex incidenti 100
Caput XIX. Quod non invenitur pax, quia sumus in praeliis 103
Caput XX. Quod non invenitur pax in controversiis 108
Caput XXI. Quod non invenitur in divitiis vera pax. 111
Caput XXII. Quod non invenitur pax in deliciis. . 117
Caput XXIII. Quod non in dignitatibus et excellentiis pax reperitur. 122
Caput XXIV. Quod non in terrenis amicitiis sit pax quaerenda 126
Caput XXV. Quod in secreto cordis vera pax invenitur. 134
Caput XXVI. Quod inventa nutritur 141
Caput XXVII. Quod nutrita augetur 151
Caput XXVIII. Quod aucta perficitur 163
Caput XXIX. Quod perfecta pace fruitur. 178

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

APUD EAMDEM TYPOGRAPHIAM PROSTANT

Bibliotheca Franciscana Scholastica Medii Aevi.

Tom. I. Fr. Matthaei ab Aquasparta, O. F. M., S. R E. Cardinalis, **Quaestiones disputatae de fide et de cognitione.** — 1903. In 8. p. XVI, 480. L. 14.00

Tom. II. Fr. Matthaei ab Aquasparta, O. F. M., S. R. E. Cardinalis, **Quaestiones disputatae selectae de Christo.** — 1914, p. XV, 227. » 10.00

Tom. III. Fr. Gulielmi Guarrae, Fr. Ioannis Duns Scoti et Petri Aureoli, O. F. M., **Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione B. M. V.** — 1904, p. XX, 157. » 8.50

Tom. IV. Fr. Petrus Iohannis Olivi, O. F. M. **Quaestiones in Secundum Librum Sententiarum** quas primum edidit ad fidem Codd. mss. BERNARDUS JANSEN S. I. — Vol. I. Quaestiones 1-48. — 1922, p. XXIV, 764. » 40.00

Tom. V. Fr. Petrus Iohannis Olivi, O. F. M. **Quaestiones in Secundum Librum Sententiarum** quas primum edidit ad fidem Codd. mss. BERNARDUS JANSEN S. I. — Vol. II. Quaestiones 49-71. — 1924, p. XVI, 644. » 35.00

ARCHIVUM FRANCISCANUM HISTORICUM. Periodica publicatio trimestris cura PP. Collegii S. Bonaventurae. Directio et Administratio: Ad Claras Aquas. — 1908 et deinceps.

Pretium annuae subnotationis, praevie solvendum, est: in Italia Lib. 20; extra vero, Franc. 30.

Pretium singulorum voluminum iam editorum (1908-1924) est: in Italia Lib. 30 — extra Italiam Franc. 30.

Digitized by Google Original from UNIVERSITY OF WISCONSIN

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

89097202659

B89097202659A

Digitized by Google

Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

Digitized by Google
Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN

89097202659

b89097202659a

Digitized by Google

Original from
UNIVERSITY OF WISCONSIN